DISSERTATIO HISTORICO CRITICA DE HONORIBUS MEDICORUM APUD VETERES QUAM…

Polycarpus Fridericus Schacher

DISSERTATIO. HISTORICO. CRITICA

DE

HONORIBVS. MEDICORVM APVD. VETERES

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Initio exhibetur ſpecimen honorum, quibus antiqui ornarunt Theologos, § I. *et Iurisconſultos,* § II. *Tum vero praeſens inſtitutum indicatur, qua nimirum ratione acturi ſimus de honoribus* MEDICORVM *apud veteres,* § III. *Horum auctor eſt, ſi rem ipſam putes, ipſe* DEVS, *qui rerum naturalium cognitionem primo homini conceſſit, ipſamque naturam medicamentis locupletauit,* § IIII. *Hinc oſtenditur, quomodo coluerunt medicos priſci* AEGYPTII, § V. IVDAEI, MOSE *praeeunte, nec non* SINENSES *et* MALABARES, § VI. *In primis* GRAECI, *qui Medicos in* DEORVM *numerum retulerunt, titulisque τῶν Σωτήρων et Θεῶν ἐπιφανῶν ornarunt,* § VII. *Ex his, praeter alios, eximii eminentesque adducuntur, vt* APOLLO, § VIII. *Et* AESCVLAPIVS, *huiusque honores Pergameni celeberrimi,* §§. VIIII, X. *Honores Aſclepiadarum,* § XI. *Docetur porro, qualem honorem Medicis attulerunt Scholae in Graecia erectae, nec non* REGES MEDICI, § XII. POETAE *ac* PHILOSOPHI MEDICI, § XIII. *Honores* HIPPOCRATIS COI, *et ſui aeui medicorum,* §§ XIIII XV. *Poſt huius aetatem* ARISTOTELES *aliique ob Medicinae peritiam ab* ALEXANDRO M. *honeſtati ſunt, vbi et inſignes Medicorum honores apud* ARABES

commemorantur, §. XVI HEROPHILI *et* ERASISTRATI *ſectatores a Smyrnaeis olim* NVMMIS *ſunt ornati, qui deſcribuntur*, §. XVII XVIII. *His expoſitis, ſequuntur honores Medicorum apud* ROMANOS, *vbi diſtincte exponitur, quisnam medicinam primus Romam transtulerit et an eadem exſul fuerit*, §§ XVIIII XX. *Tunc etiam lis, an ſeruilis apud Romanos Medicorum conditio fuerit, cum cura dirimitur, ad vindicandos nimirum Medicorum honores*, §§ XXI. XXII XXIII XXIIII *Ceterique honores Romanis adduntur*, § XXV. *Neque omitti debuit* APOLLONIVS *illE TYANENSIS, vbi inquiritur, quaenam eius fuerit medicina*, § XXVI. *Et ficta ſimul eiusdem* Ἀποθέωσις *reiicitur*, §. XXVII. *Poſtremo loco adiicitur ſpecimen honorum, quos priſci* CHRISTIANI *quibusdam Medicis habuerunt: hic enarratis*, EXPLICIT DISSERTATIO, §. XXVIII.

§ I.

SI verum eſt, quod nemo dubitat, Vrbis lumen, M. T. CICERONEM, gloriam verae virtutis fructum, ampliſſimumque praemium, iure meritoque appellaſſe: a) non erit infitiandum, homines eruditos, qui, debitis ſolidioris doctrinae praeſidiis inſtructi, de re publica praeclare inſigniterque merentur, in primis etiam dignos eſſe, quos omni proſequamur veneratione. Hanc rem intellexiſſe veteres, maximi, iique interdum nimio magni, honores argumento ſunt, quibus homines eruditionis laude inſignes ornarunt, ſiue THEOLOGOS, ſiue ICTOS, ſiue denique MEDICOS conſideremus. Excito teſtem ipſam ΘΕΟΛΟΓΟΥ appellationem, qua ii omnes, qui λόγον περὶ τῶν Θεῶν quacunque ratione promouebant, olim inſigniebantur. Quanto enim maior religio erat, qua deos profanae ſuſpiciebant gentes, tanto excellentiorem iis, quibus ſacra deorum curanda erant, habere honorem, ſui exiſtimabant officii. Hinc, qui primas rerum origines, nec

a) in PISON cap. XXIIII. et pro MILONE cap. XXXV.

nec non deorum genealogias, apud Orientis populos, Aegyptios in primis, atque Phoenices vſitatas, deſcripſerat, SANCHVNIATHON, id nominis retulit. Cui rei indicio eſſe videntur fragmenta, quae, tanquam ſeruatas e naufragio tabulas, ad noſtram vſque aetatem propagauit EVSEBIVS b) qui et: *Ταῦτα μὲν*, inquit, *ὁ δὴ τῆς ἀληθείας ὁμοῦ καὶ παλαιότητος τῷ δὴ* ΘΕΟΛΟΓΩ *μαρτυρήσας. Haec ille, quibus iſtius* THEOLOGI *cum in ſcribendo veritatem, tum etiam antiquitatem claram teſtatamque reliquit.* Sum enim in ea haereſi, verendum Patrem non ex ſuopte ingenio, ſed ex vſu gentium profanarum, hanc petiiſſe appellationem; quandoquidem et id, quod litteris mandauit, ſpecimen ſub nomine *τῆς Φοινίκων Θεολογίας*, diſerte laudatur a THEODORETO c) Neque hic loci ſilentio praetereundi poetae, HOMERVS, HESIODVS, ORPHEVS, EPIMENIDES, qui propterea quod *Θεογονίας* compoſuerunt, et caerimoniarum ſacrarum, rerumque diuinarum haud erant imperiti, *Θεολόγοι* nominabantur, AVGVSTINO d) atque LACTANTIO e) auctoribus. Inter eos, quos excitaui, veteris Graeciae vates, primus a PORPHYRIO ΘΕΟΛΟΓΟΣ dictus eſt, idemque, ſicut et ceteri omnes, communiter ORIGENI *τῶν δογμάτων πατέρες, καὶ ἀρχαῖοι* ΘΕΟΛΟΓΟΙ *τῶν Ἑλλήνων* honoris cauſſa appellantur. Speciatim de HOMERO memoriae prodidit PHILOSTRATVS, quod ORPHEVM *ἐν πεδιοῖς τῶν καλὰ τὴν Θεολογίαν* ſuperauerit, in Heroicis, cap. II p. m. 693 ORPHEVM vero, DIODORVS SICVLVS refert, *μεγάλην δόξαν παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐπὶ μελῳδίᾳ καὶ τελεταῖς καὶ Θεολογίαις, magnum apud Graecos honorem, carminum modulatione, ſacrorumque rituum inſtitutis, et diuinarum rerum explicatione conſecutum*, Lib. I. p. 20. Erat vero eorum, qui deos colebant, theologia triplex. Prima ΜΥΘΙΚΗ, quam poetae tractabant, hiſtorias deorum enarrantes: altera ΦΥΣΙΚΗ, cui philoſophi erant dediti, naturam deo-

b) Praeparat. Euang. Lib. I. p. 31.

c) *Ἐν θεραπευτικῇ ἑλληνικῶν παθῶν*, ſeu de curandis Graecorum affectionibus, Serm. II.

d) de Ciu. Dei L. XVIII. cap. XIIII.

e) de ira Dei cap. XI. Add. PLVTARCHVS in Solone p. 84.

rum exponentes; cuius rei ergo PHERECYDES, Pythagorae, Philoſophi Samii, praeceptor, ΘΕΟΛΟΓΟΥ nomine celebrabatur, de quo IOANNES OWENVS cum cura diſſeruit: f) et denique ΠΟΛΙΤΙΚΗ, quae in re ſacra minus, quam in legibus ciuitatis, verſabatur. Quandoquidem igitur hi omnes ΘΕΟΛΟΓΟΙ non ſine quadam honoris ſignificatione dicebantur, eos tamen hoc nomen inſigniter ornauit, qui myſteriorum erant interpretes, quique deorum vaticinationes et oracula, atque adeo omnia, quae huc ſpectabant, interpretabantur; id quod haud inſcite probauit GISBERTVS CVPERVS, g) vir elegantis ingenii. Occurrit autem vox non modo apud CICERONEM, ARNOBIVM, aliosque, verum etiam in nummis Q. HERENNII ETRVSCI MESSII DECII NOB CAES. Perſpicuum eſt enim, in antiquis nummis praecipuos honorum titulos repraeſentari. Singularem eiusmodi DECII nummum, eumque Pergamenum, et maioris, vt vocant, moduli, exhibuit vir in hoc litterarum genere ſummus, EZ. SPANHEMIVS, in praeſtantiſſimo de vſu et praeſtantia Numiſm. Opere, Diſſ. VI. p. 593. edit. Amſtelod. clↄ Iↄc LXXI. Exſtat hinc huius HERENNII vultus cum inſcriptione ΚΟΤΙΝ. ΕΡΕΝ. ΕΤΡΟΥΣΚΟΣ ΜΕΣ. ΔΕΚΙ. illinc vero duae apparent figurae, vna HERCVLIS ſtantis, qui dextra fulmen geſtat, h) ſiniſtra autem clauam IOVI porrigit ſedenti, cum litteris ΕΠ ΚΟΜ Φ ΓΛΥΚΩΝΟΣ ΘΕΟΛΟΓΟΥ, infra ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Qua poſtrema voce νεωκόροι dicuntur Pergameni, eo quod ipſis publica ſacrorum, ludorum atque certaminum, in honorem deorum atque Auguſtorum inſtituendorum, cura ſaepenumero erat mandata. i) Ad hanc vero Θεολόγε appellationem

f) in Theologum. Lib. I. cap. I. p. 4.

g) in Apotheoſi ſeu Conſecratione HOMERI, p. 111.

h) Solebant enim antiqui, vt notum eſt, HERCVLEM ΚΕΡΑΥΝΟΦΟΡΟΝ, id eſt, FVLMINE ARMATVM, repraeſentare.

i) Hinc in nummis M. AVRELII LVCII VERI, aliisque, apud TRISTANVM, PATINVM, SPANHEMIVM, VAILLANTIVM, MORELLIVM, KAR-

nem quod attinet, ſagaciter, ex mea quidem ſententia, IO. HARDVINVS S. I. coniecit, ea hic loci ſigillatim deorum, AVGVSTORVM et CAESARVM πανηγυρισιν deſignari, Opp. p. 139. Qua in re Pergamena me confirmat hiſtoria; quandoquidem AVGVSTVM ΘΕΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ duo appellant nummi, apud VAILLANTIVM, Num. Imp. P. II. pag 51. et in Num. Imp. Graec. pag. 5. Noti quoque ſunt ex GRVTERO atque SPONIO ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ, ſiue latine *Auguſtalia Pergamena*, vt et ὁ Ἀγὼν ἱερὸς in honorem τοῦ ΣΕΒΑΣΤΟΥ celebratus, ex DIONE CASSIO Lib. LI p. 58. Superſunt antiquitatis monumenta, in quibus ΘΕΟΛΟΓΟΥΣ καὶ ΥΜΝΩΔΟΥΣ, *theologos* et *hymnorum cantores* coniunctos inuenimus. Marmor habet THOMAS REINESIVS, in quo donaria in exſtructionem et ornatum Gymnaſii Smyrnenſis collecta recenſentur, Syntagm. Inſcript. Antiqu. p. 285. Equidem in eo cum viro erudito me haud coniungo, quod priori nomine ſignificari cenſeat, qui quouis modo circa ſacra publica famulati ſint, p. 289. Nec enim video, cur non, id quod vſus vocis vulgaris poſcit, οἱ τῶν μυστηρίων ἐξηγηταὶ ſint intelligendi. Sed haec res quoquo modo ſe habet, id tantum meum erat euincere, quod quidem pluribus verbis, quam mihi propoſueram, peregi, venerabile olim apud gentes deorum cultui addictas THEOLOGORVM fuiſſe nomen.

§ II.

NEC vero minori in celebritate quondam IVRECONSVLTI verſabantur. Vt enim alia tacitus omittam eius honoris indicia: ſatis mihi erit, NVMINA exempli gratia proferre, quae Iureconſultis priſci olim conſecrauerant populi, ſuam erga eos venerationem teſtificaturi. Inter haec primi-

HARDVINVM, Περγαμηνοὶ πρώτοι δὶς aut τρὶς Νεωκόροι frequentiſſime commemorantur. Sic in marmorea ſtatua, CAIO AVLIO AVLO IVLIO QVADRATO conſecrata, quam in ipſa Pergamo CAR. SPONIVS in Itiner. p. 140 ſq. deſcripſit, legitur: ἡ Βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τῶν πρώτων Νεωκόρων Περγαμηνῶν, S P Q primorum Neocororum Pergamenorum.

primipilum ducebat CERES, ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΣ Graecis, LEGIFERA Latinis, idcirco nominata. Primi etenim homines, qui in ſocietatem coiuerant, agris colendis operam nauabant. Hanc vero artem vt CERERI acceptam eos tuliſſe, poſteri profitebantur: ita eandem etiam legibus homines adſtrinxiſſe, et ſuas cuique portiones diuidiſſe, ſibi perſuadebant. Inde leges ortae. hinc iura nata. Nobiscum concinit OVIDIVS. k)

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro:
Prima dedit fruges alimentaque mitia terris:
Prima dedit leges. Cereris ſumus omnia munus.

Ita et DIODORVS SICVLVS refert, τὰς παλαιὰς Ἕλληνας τὴν Δήμητραν l) ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΝ ὀνομάζειν, ὡς τῶν νόμων πρώτων ὑφ' αὐτῆς τεθειμένων. m) Inde magna quidem feſtiuitate Θεσμοφόρια ob excellentia, quibus ſe CERERI deuinctos credebant ſuperſtitioſi, beneficia celebrabantur, quibus virgines honeſtaeque feminae, quae habebant ſacerdotem ſuum, ΣΤΕΦΑΝΟΦΟΡΟΝ dictum, quod videlicet corona cinctus obiret ſacra, praeerant, n) teſte veteri inſcriptione, quam e Graecia Venetias translatus lapis exhibet apud IANVM GRVTERVM, p CIƆXCVII. n. 3.

Η. ΣΥΝΟΔΟΣ. ΤΩΝ ΜΥΣΤΩΝ. ΤΗΣ. ΜΕΓΑΛΗΣ. ΘΕΑΣ
ΠΡΟΠΟΛΕΩΣ
ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΝ. ΔΗΜΗΤΡΟΣ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΝ
ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ
ΤΟΥ. ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ. ΜΑΤΡΕΑΝ
ΣΥΜΑΡΤΥΡΑΝ.....,.. ΤΟΝ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ

Acces-

k) METAMORPH. Libr. V. Fab. VI. v. 1. 2. 3.

l) Diſcrimen, quod inter has duas φράσεις, Θεῖναι νόμον et Θέσθαι νόμον intercedit, expoſuit LVDOLPHVS KVSTERVS, de vero Vſu verborum Mediorum apud Graecos, p. 124. ſeqq.

m) Numeranda haec appellatio inter nomina CERERIS, quaſi Δηὼ μήτηρ, vel δήμων μήτηρ, vel etiam γῆ μήτηρ; id quod ex dorica διαλέκτῳ deriuat IOANNES TZETZES, antiquus ASCRAEI VATIS interpres.

n) Euolu. etiam THEOCRITI, poetae Syracuſani, Explanator, ad Eidyll. IIII. v. 25. p. m. 82.

Acceſſus ad haec ſacra nulli patebat viro, quin etiam ancillae ab iisdem arcebantur. Hinc apud ARISTOPHANEM, o) Ἀττικώτατον poetam, canunt mulierculae:

> Ἥκετ' εὔφρονες ἵλαοι
> Πότνιαι ἄλσος ἐς ὑμέτερον
> Οὗ δὴ ἀνδράσιν οὐ
> Θεμιτὸν εἰσορᾷν
> Ὄργια σεμνὰ Θεαῖν.

Ibidem p) hera arcet ſeruam his verbis:

> σὺ δ' ἄπιθ' ὦ Θρᾶττ', ἐκ ποδῶν.
> Δούλοις γὰρ οὐκ ἔξεστ' ἀκούειν τῶν λόγων.

Altera ICTORVM dea THEMIS erat, cuius tres filiae, ex ſecundis IOVIS nuptiis natae, EVNOMIA, IRENE, DICE, illum auxerunt numerum: quandoquidem Iuſtitiae ſacerdotes ICti hodieque dicuntur. His addenda cetera, vt IVSTITIA, AEQVITAS, PAX, CONCORDIA, FIDES, CONSVS, ANGERONA, et ſi qua ſunt alia eiusmodi numina. Legat, qui plura cupit, ASCRAEVM VATEM, et eos, qui numina ICtis olim ſacra, e veteri gentium memoria ſeparatim collegerunt: in quibus numerandus CHR. GOTTH. WILISCH, vir doctiſſimus, nobisque amiciſſimus.

§. III.

QVEMADMODVM igitur Theologos atque ICtos luculentas honorum ſignificationes ab antiquis retuliſſe, teſtatiſſimum exiſtimo: ita HONORES etiam MEDICORVM APVD VETERES inſignes eminemesque fuiſſe, nemo vnus erit, qui dubitet. Atque hoc illud eſt, quod in primo

B hoc

Verba haec ſunt: νόμος ἦν Ἀθηναίοις, κατ' ἔτος τελοῦντα Θεσμοφόρια καὶ παρθένοι γυναῖκες καὶ τὴν βίον σεμναί, κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς τελευτῆς τὰς νομίμους βίβλους καὶ ἱερὰς, ὑπὲρ τῶν κορυφῶν αὐτῶν, ἀνατιθέσαν, καὶ ὡσανεὶ λιτανεύουσαι ἀπήρχοντο εἰς Ἐλευσῖνα. Euoluenda, quae PL. REV. PRAESES habet de Tribunalibus Profanarum Gentium CHRISTO eiusque Legatis iure meritoque odioſis, p. XII. XIII.

o) in Θεσμοφοριαζούσαις v. 1160 ſeq.

p) v. 300. 301.

hoc academico ſpecimine ſtudioſe perſequar. Quandoquidem enim ſalutari arti, quam ab ineunte aetate mirifice adamaui, qualecunque meum conſecrare ingenium inſtitui: mea intereſſe putaui, ſi quam materiem Medicinae dignitatem atque praeſtantiam continentem, eandemque proprio marte elaboraram, cum erudito communicarem orbe. In huius argumenti pertractatione ita ſum verſaturus, vt HISTORIAM perluſtrem MEDICAM, q) et ſingula honorum Medicis olim attributorum vener veſtigia quorum ſi qua mihi occurrent, ea colligam, chartaeque mandabo. Initium ſtatim capiam a CONDITO ORBE, et, quomodo Medicos antiquiſſimi honorauerint populi, ex antiquitatis monimentis exponam. Quum vero in eiuſmodi rebus criticae artis ſubſidia haud ſpernenda ſint: non erit alienum, ea quoque in conſilium adhibere. Id ſtatim initio profiteor, licet viribus deſtituar ad hoc propoſitum neceſſariis, ingenuum tamen veritatis inueſtigandae conatum mihi non defuturum. IMMORTALEM DEVM impenſe oro, vt his coeptis meis propitius adſit, et gratia atque auxilio ſuo me, publice primum vires ingenii exiguas experturum, ad alia maioris momenti tentanda perbenigne excitet.

§. IIII.

IPSE ſupremus rerum omnium opifex, IMMORTALIS DEVS, arti medicae, atque adeo illius etiam cultoribus, haud ſane erubeſcendam conciliauit auctoritatem, quoniam, dum elegantiſſimam admirandamque corporis noſtri machinam conſtruxit et aedificauit, medicam ei naturam, et ad tuendam

q) Decreui virum celeberrimum, IO HENR. SCHVLZIVM ducem atque magiſtrum ſequi, vtpote qui Hiſtoriam Medicinae a rerum initio ad annum V. R. ƆXXXV. Lipſiae edidit, CIƆ IƆCC XXVIII, 4. Huius hiſtoria eo magis mihi arriſit, quod R. P. DIONYSII PETAVII calculos in doctrina temporum poſitos adoptauit. Hos igitur eosdem mordicus tenebo, quoad eius quidem fieri poterit. Vbi vero accurata temporis veſtigia mihi haud licebit venari; res tamen omnes in commodum locum referre conabor.

Google

dam valetudinem accommodatiſſimam, largitus eſt, vnus idcirco ſalutaris diſciplinae auctor iure meritoque celebrandus. Tanto autem magis eum inuentae Medicinae honorem ſibi vindicat ille, quanto exploratius omnes habemus, vniuerſam, quam latiſſime patet, naturam viribus ad medendum validiſſimis ab eo ſic inſtructam eſſe, vt, ſi eandem veluti *Κέρας Ἀμαλθείας*, r) ſeu *Cornu Copiae* vtiliſſimis medicamentis refertiſſimum appellaueris, nihil, equidem credam, quod a vero abſit, te affirmaturum. Hanc rem qui ſecum conſiderauit, GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS, medicus hodie celeberrimus, occaſionem inde nactus eſt *de Deo verae medicinae auctore*, lectu digniſſimam elucubrandi diſſertationem, quam etiam Halae CIↃIↃCCXII habuit. Quin et cum iis doctiſſimis viris facere non vereor, qui PRIMVM HOMINEM et rerum naturalium peritiſſimum, et idoneum naturae adminiſtrum, ipſo DEO auctore, fuiſſe putant. Equidem cum illis me non coniungo, qui primi parentis ſcientiam ex ea, quae hodie vſu recepta eſt, eruditione penſantes, ipſum theologum, philoſophum, aſtrologum, chemicum, mathematicum, atque adeo et MEDICVM EXIMIVM exercitatiſſimumque fuiſſe, ſibi aliisque perſuadere conantur. Hos aliis deridendos, nec immerito, propinant PETRVS BAYLIVS, s) et C. A. HEVMANNVS, t) magna nomina. Mea ſententia eo tantum collineat, vt credam, primum hominem, antequam a DEO deſciuerat, inſignem rerum naturalium, quas medicina ſibi vindicat, habuiſ-

r) CORNV AMALTHEAE, tanquam abundantiae et fecunditatis ſymbolo vſi ſunt antiqui homines. Nempe *Κέρας Ἀμαλθείας* in prouerbio dicitur, *ἐπὶ τῶν ἀφθόνως τινὶ παρεχομένων τὰς τῆ πλούτου ἀφορμάς*, de iis, qui affatim alicui diuitiarum penu copiamque praeſtant. Vid. ZENOBIVS, Prouerb. Cent. II. n. 48 ERASMVS in Adagiis, ceterique Paroemiographi. Ceterum CORNV AMALTHEAE, eiusque Mythicam originem, copioſe deſcripſerunt EVSTATHIVS, Παρεκβολ. in HOMERI Iliad. N. p. 817 ed. Rom. et PALAEPHATVS, de Incred. Hiſt. c. XLVI.

s) Dans le Dictionaire Hiſtorique et Critique, voc. ADAM.

t) in Actis Philoſophor. Part. VI. num. 1 §. VIIII. X.

habuiſſe cognitionem. Ex his ſatis, opinor, perſpicuum erit, originem Medicinae eſſe egregiam, atque a rerum omnium auctore deriuandam. Quo minus igitur mirari conuenit, antiquos mortales illis, qui res naturae arcanas venabantur, magnum omnino ſtatuiſſe pretium. Nam, ſi eorum omnium, quae in hac rerum vniuerſitate cernuntur, vnumquodque eo praeſtantius eſt, quo clariora diuinitatis veſtigia in eo conſpiciuntur. dubitari non poteſt, quin medica ſcientia ſit omnium praeſtantiſſima facultas, et, qui eandem colunt, homines quasuis honorum ſignificationes mereantur.

§. V.

POSTEA vero, quam omnis bonitatis fontem deſeruerat homo, et cum variis morbis, mortis nuntiis, conflictari coeperat, dici non poteſt, quam inſignem egregiumque artis medicae ſpectata neceſſitas veteribus medicis attulerit ſplendorem honeſtatemque. Confirmant hoc vltimi AEGYPTIORVM annales, apud quos medicis ſingularis hic contigit honos, vt in ſacrorum hominum ſiue ſacerdotum haberentur numero CLEMENS enim ALEXANDRINVS, u) vir patriarum rerum haud proletaria imbutus notitia, diſertis memoriae prodidit verbis, quo ordine in caerimoniis ſacris iidem inceſſerint, in quo quidem poſtremum occuparint locum *οἱ παστοφόροι*, pallium geſtantes, quippe quorum erat officium, vt ſex MERCVRII ediſcerent *βίβλους*, ΙΑΤΡΙΚΑΣ *οὔσας, περί τε τῆς τοῦ σώματος κατασκευῆς, καὶ περὶ νόσων καὶ περὶ ὀργάνων, καὶ φαρμάκων, καὶ περὶ ὀφθαλμῶν, κ τ λ libros, qui pertinent ad* MEDICINAM, *nempe de conſtructione corporis, et de morbis, et de inſtrumentis, et medicamentis, et de oculis.* Iam vero, quanta ſacerdotum apud profanas gentes fuerit dignitas, et conſtat inter omnes, et res ipſa loquitur. In primis haec qua ratione per hereditatem in poſteros perpetua ſucceſſione fuerit propagata, qua ipſi medici Aegyptii floruerint dignitate, et quam ampliſſime

u) Stromat. VI. p. 634. edit. FRID. SYLBVRGII.

pliſſime ipſorum fortunis proſpectum fuerit, quantique ipſis fuerint reditus, nemo, quantum equidem ſcio, deſcriptius expoſuit, quam DIODORVS SICVLVS. v) Idem etiam enarrat, *κατὰ ἔγγραφον νόμον*, vel, vt ARISTOTELES loquitur, *κατὰ γράμματα*, *ex lege ſcripta*, eaque a medicis antehac illuſtribus elaborata, non vero proprio et rationis et experientiae vſu medicos, vt tum erant tempora, culturam medicinae exercuiſſe; in quo quidem, meo iudicio, ſuae parum conſuluerunt exiſtimationi. Verum quum ſapientis ſit, neceſſitati parere: excuſatius videntur peccaſſe. Ab his vero honoratioribus medicis, qui in ſacerdotum cooptati erant collegium, ii cum cura ſunt diſcernendi, qui ex ima plebis fece, domeſtica modo remedia, qui et hodieque mos obtinet, vulgaribus opponebant morbis. De his veterum teſtimonia interpretanda eſſe, plane mihi perſuaſiſſimum habeo; cuiusmodi eſt illud HOMERI, ΟΔΥΣΣ. Δ. v. 230.

Ἰητρὸς δ' ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώπων κ. τ. λ.

Quisque hominum ibi eſt medicus omnium peritus.

Scilicet ſacerdotes medici *acroamaticam*, proletarii vero homines *exotericam*, inter Aegyptios exercebant medicinam. Ne enim quiuis ſine delectu homo, ſutor an ſartor eſſet, integra inter Aegyptios ciuitate, quaeſtum ex medicina faceret, publica, eaque ſeueras poenas minante lege, cautum erat.

§. VI.

MOSES, quum in omnium Aegyptiorum arcanis haud leuiter eruditus eſſet, vt ipſae ſacrae nobis indicant litterae, nec medicae artis imperitus fuiſſe videtur. Certe CLEMENS ALEXANDRINVS expreſſis ſcribit verbis: *ὁ Μώσης τὴν ἰατρικὴν παρὰ τοῖς διατρίψασιν Αἰγυπτίων ἐδιδάσκετο*, Stromat. lib. I. p. 343. Hinc ille ad ISRAELITAS, ciues ſuos, ea, quae de re medica ipſis cognita perſpectaque fuerunt, retulit; quandoquidem is, XXXX annos natus, regiam deſeruerat aulam, atque ad ſuos ciues, eosque vehe-

 menter

v) ἐν Βιβλιοθήκῃ Ἱστορικῇ, Lib. II. p. 66.

menter etiam atque etiam vexatos, tranſferat. Sacrae docent paginae, in morbos acres et duros populum cecidiſſe Iudaicum: cui quum tribus Leuitica, ſacerdotio adſignata, peculiari quadam ratione praeeſſet, eidem quoque morborum cura erat mandata, ita quidem, vt homines aegroti a Deo, qui ſe vnum ipſorum fore medicum declarauerat, per ſacerdotes auxilium exorarent. Hos autem viros, in magna dignitate conſtitutos, quoniam non dedecebat morborum curatio: patet inde, veteres Iudaeos multum fauiſſe medicis. SINENSES etiam, a quibus IAPONENSES non multum diuerſi ſunt, quanti Medicorum fuerint cultores atque patroni, vel eo haud parum luculenter declararunt, quod reges ſuos curandi artis iactent inuentores. Ad MALABARES vero quod attinet, hi quidem originem illius a Deo ſummo repetendam eſſe contendunt, opinantes, illam intra multas annorum myriades per manus traditam ad varios ordine deos ſucceſſiſſe, donec ab his ad vates, atque a vatibus ad homines demum peruenerit. Pluribus verbis de honore, quem hae priſcae gentes medicis habuerunt, exponerem, niſi antiquitatis mihi deeſſent monimenta. Eam praeterea legem mihi ſcripſi, meras me coniecturas, quae nulla ſe probabilitate commendant, procul hinc faceſſere iuſſurum. Ex his paucis vero, quae ex hiſtoria protuli, ſatis, opinor, perſpici poteſt, medicos ab antiquis populis haud fuiſſe contemtos, nec vilem eorum fuiſſe conditionem.

§. VII.

IAM non ſine inſigni voluptatis ſenſu ad antiquos GRAECOS me conuertam, aequiſſimos ſemper, ſicut omnis ἐγκύκλιας παιδείας, ſic etiam Medicorum, aeſtimatores. Id vero vnum, non poſſum facere, quin vitio iis vertam, quod ad ſuperſtitionem vſque veteres honorauerint medicos. Illa primum tempora attingemus, quae HIPPOCRATEM COVM, atque adeo EXPEDITIONEM ARGONAVTICAM, cuius fere aetas in A. M. CIϽIϽCCXXI incidit, atque a C. N. CIϽCCLXIII diſtat, haud adeo diu anteceſſerunt. Antiquiſſimus igitur, quo

quo medicos ornauit Graecia, honos ille fuit, quod iis VARIA conſecrauit NVMINA. Scilicet homines arte medica excellentes, et egregiis ſuis inuentis factisque de humano genere praeclariſſime meriti, a priſcis gentibus in deorum numero habebantur, diuinisque colebantur honoribus. Egregie hanc in rem conuenire videtur inſignis ille locus apud THEODORETVM, vbi ſanatio inter cauſſas gentilium θεοποιΐας diſertis verbis memoratur: *χρόνῳ δὲ ὕστερον καὶ τοὺς ἔν τι δεδρακότας, ἢ ἐν πολέμοις ἀνδραγαθισαμένους, ἢ γεωργίας τινὸς ἀρξαμένους, ἢ σώμασι τισὶ* ΘΕΡΑΠΕΙΑΝ *προσενηνοχότας, ἐθεοποίησάν τε καὶ νεὼς τούτοις ἐδείμαντο* *ſequenti autem aetate eos quoque, qui humanum genus beneficio quodam affeciſſent, ſiue fortiter pugnaſſent in bello, ſeu terrae colendae rationem aliquam inueniſſent, ſeu corporibus nonnullis* SANATIONEM *attuliſſent, delubris exſtructis, in deorum numerum retulerunt.* x) Sollemne hoc ſeruabant Graeci, vt deos Medicos ΣΩΤΗΡΑΣ, deas vero Medicas ΣΩΤΕΙΡΑΣ appellarent, ſingulari quodam modo eos honoraturi. Quin iidem etiam, proinde vt reliquae gentes, ex praeſentiſſimo quouis remedio praeſentes etiam ſub humana ſpecie deos colligebant. Pleni ſunt philoſophorum libri, plenae gentium memoriae, plena vetuſtatis monimenta, marmora atque nummi, in quibus ΘΕΟΥΣ ΕΠΙΦΑΝΕΙΣ, DEOS, quos Graecia in primis Latiumque PRAESENTES coluit, conſpicamur. Nec vero inanes vulgo habitae deorum *ἐς ἀνθρώπους ἐπιδημίαι*, maxime ſi vrbes peculiari cultu ſibi conſecratas inuiſerent; ſed efficaces, et ſalutari quodam auxilio praeditae, quae nempe aut aegris ſalutem, aut afflictis ſolatium, aut laborantibus praeſidium afferrent. Praeclare hanc in rem ὁ Θεῖος ΙΑΜΒΛΙΧΟΣ· *Ἡ μὲν τῶν Θεῶν ἐπιφάνεια δόσεις παρέχει ἀγαθῶν μεγίστων.* y) *Deorum praeſentia bonorum maximorum praebet largitiones.* Et alibi varia illa bona, quae Numina aduentantia mortalibus largiebantur, enumerans, primo loco ΥΓΕΙΑΝ ΣΩΜΑΤΟΣ, CORPORIS

SANI-

x) Serm. III. ad Graecos Infideles, p. 42.

y) de Myſter. Aegypt. Sect. II. Cap. VIIII.

SANITATEM, recenſet. z) Ita ISIN κατὰ τοὺς ὕπνους τοῖς ἀξιοῦσι διδόναι βοηθήματα, ISIDEM *in ſomnis, ſi quis opem expetieris, manifeſtam numinis praeſentiam exhibere*, in toto prope orbe διὰ τὴν ἐν ταῖς θεραπείαις ἐπιφάνειαν, *ob praeſens in medicando numen ſuſpici*. DIODORVS aa) teſtatur AMPHITRVONIS vxori, quum parturienti vteri dolores, qui ſolent puerperae, exorirentur, deos immortales, vt ſibi auxilium ferrent, inuocanti, vox audita eſt:

Alcumena, adeſt auxilium, ne time,
Et tibi, et tuis propitius coeli cultor aduenit. bb)

Tunc ipſa ſine doloribus edidit gemellos.

§. VIII.

HIS ita generatim expoſitis, de DIIS MEDICORVM, quos GRAECI olim colebant, iam mihi ſingulari opera agendum erit. Quum autem facile proſpiciam, multas fabuloſas narrariunculas huc loci inueniri: delectum quidem inſtituam, ea, quae certiora atque exploratiora mihi videbuntur, in medium allaturus. Neque in omni prorſus commemoranda Ἀποθεώσεως ratione verſabor, ſed ea tantum, quae, ſelectione quadam habita, huc pertinent, communicabo. Nec mei fert ratio inſtituri, vt fabularum expoſitiones, easque ſiue phyſicas, ſiue morales, adiiciam. vtpote quibus incertius mihi vnquam viſum eſt nihil. Illi forte a vero non aberrant, qui CYBELEN, magnam deorum matrem, a Phrygibus primum, deinde a Graecis etiam, atque Romanis cultam, quin et PROMETHEVM atque BACCHVM, huic adſcribunt numero; eorum vero res maiori ſatie obſcuritare laborant, quam vt in luce clariſſima collocari queant. Hoc certiſſimum quidem, atque cum fide hiſtorica conueniens eſt, MERCVRIVM ſiue HERMETEM ex IOVE et MAIA, ATLANTIS filia, natum, ſummos ob Medica beneficia in Graecis oris accepiſſe honores. Verum multo celebriorem nominis famam PRIMVS adeptus eſt deus

z) Cap. VI.
aa) Lib. I p. 22.
bb) PLAVTVS in Amphit Act. V. Sc. I. v. 12.

deus medicorum, APOLLO ſeu PHOEBVS, SERAPIS Aegyptiis dictus, cc) cum ſororibus ſuis, ARTEMIDE et PALLADE, quae vtraque in perpetua virginitate vixiſſe traditur. Hi tres IOVIS EX LATONA, SATVRNI filia, et ex cerebro ſuo, ſuſcepti liberi, quoniam aegrotantibus praeſens tulerant auxilium, diuinis a Graecis ornati ſunt honoribus, eamque ob cauſſam a SOPHOCLE τρισσοὶ Ἀλεξίμοροι, *trini malorum mortisque vindices* appellantur, atque a choro exorantur, vt Martem, peſtis auctorem, propulſent, in Oedip tyran v 168 ſeqq. Μονοστρόφοις, in quibus paullo ante triplicis illius prolis nominatim facta erat mentio, ita ſe habent:

ΤΡΙΣΣΟΙ ΑΛΕΞΙΜΟΡΟΙ *προφάνητέ μοι*
Εἴποτε καὶ προτέρας ἄτας ὕπερ
Ὀρνυμένας πόλει, ἠνύσατε
Ἐκτοπίαν φλόγα πήματος,
Ἔλθετε νῦν, ὦ πόπαι

APOLLO hic ille eſt, a quo Medicina, ars Apollinea hodieque dicitur, et qui in monetis ΣΩΤΗΡ, atque in poetarum carminibus ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΣ vocatur. Elegantem eiusmodi Lapitharum in Theſſalia nummum, qui ΑΠΟΛΛΩΝ ΣΩΤΗΡ inſcribitur, et in quo hinc APOLLO cum ſtella, illinc APOLLINIS lyra comparet, in lucem produxit EZECH. SPANHEMIVS, l. c. p. m. 381. qui et ex EVRIPIDE, PINDARO, CALLIMACHO, ceteriſque auctoribus, probauit, inuentionem Medicinae huic Deo eſſe tributam Qua occaſione id mihi in primis obſeruatu dignum videtur, medicae *μαντικῆς* ſeu *fatidicae* inuentionem APOLLINI vindicatam; quo nomine ΙΑΤΡΟΜΑΝΤΙΝ, VATEM MEDICVM, ipſum appellauit AESCHYLVS, Enumenid. v. 62. De hoc et OVIDIANVM illud decantatur: dd)

Inuentum Medicina meum eſt; opiſerque per orbem
Dicor; et herbarum ſubiecta potentia nobis

Hunc vna cum AESCVLAPIO iurari voluit HIPPOCRA-

C TES:

cc) auctore PETRO CASTELLANO, qui Graecas quondam litteras in academia Louanienſi cum plauſu docuit, in Vit. illuſtr. Med. p 12.

dd) Metamorph. Lib. I. v. 521.

TES: Ὄμνυμι ΑΠΟΛΛΩΝΑ ΙΗΤΡΟΝ καὶ Ἀσκληπιὸν, καὶ Ὑγείαν καὶ Πανάκειαν. Conf. I. H. MEIBOMIVS in Iuſiurand. Hippocr. cap. IIII. Vt adeo non nimis ego quidem dubius ancepsque haeream, ΠΥΘΙΑ, ſeu Ἀγῶνας Πυθίους, qua voce ludi Apollinares intelliguntur, in huius APOLLINIS MEDICI ſiue SALVTARIS honorem in Graecia ſub monte Parnaſſo quondam fuiſſe celebratos. Atque hoc inde mihi fit credibile, quoniam horum certaminum non ſolum in marmore Ancyrano, verum in nummis etiam, inicitur mentio, ΙΕΡΩΝ nempe ΑΓΩΝΩΝ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΟΑΣΚΛΗΠΙΕΙΩΝ ΤΕ ΚΑΙ ΠΥΘΙΩΝ Vid Inſcript. Ancyrae adhuc exſtantem poſt DOVSAM et COSSONIVM a TOVRNEFORTIO feliciusexſcriptam, atque a MONTFAVCONIO editam, Palaeograph lib. II. c. VI. ΑΡΤΕΜΙΝ Σωτείραν, eamque Λοχείαν, parturientes implorabant mulieres, et, quoniam his ſuppetias ferre credebatur, ἄνδρες ἰδίᾳ Θεῶν μάλιστα ἄγουσιν ἐν τιμῇ, *viri ſeorſim praecipuo hanc deam honore proſecuti ſunt*; teſte PAVSANIA. ee) Hanc partus Praeſidem deam excipit PALLAS, etiam Σωτεῖρα, quam IVPITER ex ſuo cerebro ſuſcepit, et cuius in honorem PERICLES ſimulacrum aeneum τῆς Ὑγείας Ἀθηνᾶς erexit. Quam vt medici patronam ſuam venerentur, hortatur OVIDIVS, ita canens: ff)

Vos quoque, Phoebea morbos qui pellitis arte,
Munera de veſtris pauca referte deae.

§. VIIII

CONSEQVITVR iam ALTER illuſtrior medicorum deus, AESCVLAPIVS, APOLLINIS filius, qui temporibus expeditionis Argonauticae in tanta verſabatur celebritate, vt reliqui medici ab eo ſe *Aſclepiadas* nominare non dubitarent. Is artem, quae antehac ſatis adhuc rudis indigeſtaque erat, tanto excoluit ſtudio, vt vulgo illius haberetur repertor. PLVTARCHVS certe haud veretur ſcribere, τοὺς ἰατροὺς ΑΣΚΛΗΠΙΟΝ ἔχοντας ὕμιν ἡγεμόνα, *Medicos Aeſculapium*

ee) p. 357.

ff) Faſtor. Lib. III. v. 827 828.

piam ſcimus habere ducem. PINDARVS quoque vates Lyricus, ab eximia ſanandi peritia eumdem celebrat:

- - - - Ἀσκλήπιον
Ἥρωα, παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νούσων.

I. E.

- - - - - *Aeſculapium*
Heroam, quorumuis propulſatorem malorum.

ΠΥΘΙΩΝ, Γ. v. 12. 13. ed ERASMI SCHMIDII. Mitto nunc heroas, CHIRONEM, HERCVLEM ΑΛΕΞΙΦΑΡΜΑΚΟΝ, gg) IASONEM, AEETAM, eiusque coniugem HECATEN, duasque filias, CIRCEN et MEDEAM, ORPHEVM item, PELEVM, ACHILLEM, PATROCLVM, HELENAM, et Aeſculapii filios, MACHAONTA, PODALIRIVM, et reliquos Medicorum deos deaſque inclytas, ad AESCVLAPII Ἀποθέωσιν, prout ea ad praeſens argumentum quadrat, potius declarandam perrecturus. Hanc annis ante Troiae expugnationem LIII factam eſſe, CLEMENTEM ALEXANDRINVM ſatis locupletem excito teſtem. Adeo multa, eaque maximopere inſignia, fana huic valetudinis Praeſidi in tota, quacunque patuit, Graecia erant conſecrata, vt eorum numerus iniri vix poſſit. At nullibi tamen diuiniores ei, quam PERGAMI, habebantur honores, quippe quum Pergamenorum DEVS haberetur ΠΑΤΡΩΟΣ. hh) Vnde MARTIALIS lib. VIIII. Ep. 17. canit.

Conſilium formae ſpeculum dulceſque capillos
PERGAMEO *poſuit dona ſacrata* Deo.

In primis AESCVLAPIVM celebrabant Pergameni, tanquam magnum

C 2

gg) Ita Melitenſes, PAVLLVM vbi vidiſſent, absque vllo damno ſuo viperam, quae manui eius ſeſe implicauerat, excuſſiſſe, *Θεὸν αὐτὸν εἶναι ἔλεγον*, Deum illum eſſe ſtatuebant, nempe Herculem, qui in ea inſula colebatur, *Ἀλεξιφάρμακον*, Act. XXVIII, v. 6 Pagani enim ſolebant *πάντα ποιοῦντά τι παράδοξον Θεὸν νομίζειν*, pro deo quemlibet habere, qui mirabile aliquid ederet, notante OECVMENIO ad h. l. p. 101. ed. Veron. A. CIƆ IƆ LII.

hh) Vid. Ill. SPANHEMIVS in epiſt. ad MORELLVM. p. 212.

magnum ΘΑΥΜΑΤΟΠΟΙΟΝ, qui omnia ἐπὶ σωτηρίᾳ ἀνθρώπων, ad ſalutem hominum conferat. AELIVS ARISTIDES, orator Pergamenus, ſexcenta eiusdem exaggerauit miracula, tum vero exclamat ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ ΔΥΝΑΜΕΙΣ ΜΕΓΑΛΑΙ ΤΕ ΚΑΙ ΠΟΛΛΑΙ! AESCVLAPII VIRES MAGNAE SVNT ET MVLTAE! Eidem dicitur ille ὁ Θεὸς ΠΑΣΑΣ ΕΧΩΝ ΤΑΣ ΔΥΝΑΜΕΙΣ, OMNES HABENS VIRES, ἐν τῇ Λαλιᾷ εἰς Ἀσκλήπιον T. I. p. 36 edit. Oxon. SAMVEL IEBB. A. CIƆ IƆCC XXII Tanta huius Medicinae Praeſidis erat celebritas, vt Romanos etiam principes Pergamum curationum cauſſa ſe contuliſſe, relatum legamus. Quum poſt GETAE fratris caedem ſecreta quaedam laniena CARACALLAM torquere coepiſſet, Pergamum ille adiit, ASIAE ciuitatem, vt AESCVLAPII curationibus vteretur, ἠπείχθη εἰς Πέργαμον τῆς Ἀσίας, χρήσασθαι βουλόμενος θεραπείαις τοῦ Ἀσκληπιοῦ, HERODIANO auctore, Lib IIII cap. VIII Diuinam ei virtutem l. c. adſerit ARISTIDES: εἰσὶν οἳ Φασιν ἀναστῆναι κείμενοι, ὁμολογούμενα δήπου λέγοντες καὶ πάλαι τῷ Θεῷ μελετώμενα. *Sunt qui dicunt, ſe mortuos reſurrexiſſe: ea dicentes, quae certa et in confeſſo ſunt, et a Deo* AESCVLAPIO *iam pridem factitata.* Huc, praeter alia multa, ψῆφοι pertinent, quos ab AESCVLAPIO acceptos praedicat idem egregius ſophiſta. *Ego certe,* inquit, *vnus ex iis ſum, qui non bis DEI beneficio vitam recuperauerunt, ſed multoties, quique propterea morbum vtilem iudicant,* πρὸς δὲ καὶ ΨΗΦΟΥΣ ΕΙΛΗΦΟΤΩΝ ἀνθ᾽ ὧν ἔγωγ᾽ ἂν οὐδὲ σύμπασαν δεξαίμην τὴν ἐν ἀνθρώποις λεγομένην εὐδαιμονίαν, *praeterea ex iis ſum, qui* CALCVLOS ACCEPERVNT; *quos ego quidem cum omni, quae apud homines appellatur, felicitate commutare nolim;* περὶ Ὁμονοίας ταῖς Πόλεσιν, T I. p 520 Vbi quidem MICHAELI ROSSALLO, clariſſimo Graecae linguae atque artium in Alma Groningenſi et Omlandica Academia Profeſſori, in erudita de Regno Pergameno commentatione paullo obſcurius viſum, quid per ψήφους ſibi voluerit ARISTIDES nobis vero ad ἐπιφανείας AESCVLAPII, in ſomno medicinam praeſcribentis, reſpexiſſe videtur. Tum vero, quoniam plurali vtitur numero, ſingularem etiam laudem ante oculos, ni fallor, habuit, quam ex orationibus ſuis ab

AESCV-

oogle

AESCVLAPIO reportauit. Colligere mihi hoc licuit ex eius Ἱεροῖς Λόγοις paſſim, et ex fine τῆς Λαλιᾶς εἰς Ἀσκλήπιον, vbi τὴν ψῆφον ΣΥΝΘΗΜΑ dicit, et ſibi orationes habenti hunc adeſſe DEVM, et *calculum adiicere*, παρεῖναι τε καὶ ἐπιψηφίζειν τοὺς λόγους, praedicat. Quod ſi vero in ſomnio rem improbaſſet, hanc adhibet φράσον ὁ δὲ Θεὸς τὴν ἐναντίαν ſcilicet ψῆφον, ἐτίθετο, ἐν τῷ Ἱερῶν Λόγων πρώτῳ, Tom. I. p. 287.

§. X.

PERGAMENI hunc Deum ΣΩΤΗΡΑ et ΣΩΤΗΡΑ ΘΕΟΝ, et quaſi nomine proprio, ΤΟΝ ΣΩΤΗΡΑ vocarunt; vnde ἴδιος ἀκούει τοῦ ἱεροῦ καὶ τῶν πόλεων ΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ἡγεμόνων. Tantumne? Quin etiam ille ὁ τῶν ἀνθρώπων γένους ΣΩΤΗΡ ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ iisdem audiebat. Tantumne? Minime gentium: verum et θεῶν ὁ ΠΡΑΟΤΑΤΟΣ, καὶ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΤΑΤΟΣ. Plenae ſunt ARISTIDIS, ſtudioſi AESCVLAPII PERGAMENI, ſi quis alius, et deuoti cultoris, orationes, inprimis εἰς τὸ Φρέαρ τοῦ Ἀσκληπιοῦ, et περὶ ὁμονοίας πόλεων, ceteriſque his ſimilibusque titulis, honorificentiſſimisque nominibus. Nimius ille AESCVLAPII admirator περὶ Ὁμονοίας ſcribit: ὑπὸ τῷ ΚΑΛΛΙΣΤΩ ΚΑΙ ΤΕΛΕΩΤΑΤΩ, Tom. I. pag. 520. Fanum, quod Pergami erectum erat AESCVLAPIO, Η ΚΟΙΝΗ ΤΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΕΣΤΙΑ, ἧς ἀπέλαυσεν μὲν, οὐδεὶς ὅστις τῶν ὑφ᾽ ἡλίῳ, ARISTIDE περὶ Ὁμον. auctore, habebatur. Namque vniuerſam Aſiam ſcribit ΕΙΣ ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΟΝ ΤΕ ΣΥΜΦΟΙΤΗΣΑΙ, καὶ τελεσθῆναι τὰ πρῶτα τῶν ἱερῶν ὑπὸ τῷ καλλίστῳ καὶ τελεωτάτῳ δᾳδούχῳ καὶ μυσταγωγῷ, ad AESCVLAPII FANVM *ſimul commeaſſe, et ab optimo perfectiſſimoque taedifero ac Myſtagogo primis eſſe ſacris initiatum.* Vid. ARISTIDES περὶ ὁμον. Tom. I p. 520. Add. PHILOSTRATVS in Vita Apollonii Tyanei, Lib. IIII. Ex hac ipſa conſuetudine, qua tota Graecia Aſiatica ad Aeſculapii templum Pergamenum confluxit, occaſionem arripuerunt ΤΟΝ ΘΡΟΝΟΝ ΤΟΥ ΣΑΤΑΝΑ APOCAL. II, 13. 17. de AESCVLAPII FANO PERGAMENO interpretandi, MICH. ROSSALLVS, et THEODORVS HASAEVS, viri celeberrimi, in Bibliotheca Bremenſi, opere longe ele-

gantiſſimo, Claſſ III Faſcic. I. p 93-104. Non equidem ſum neſcius, aliis aliter hic placere, ſed nolo me hiſce immiſcere certaminibus, praecipue quum in meis non ſitum ſit viribus, tantas componere lites. Verum PL. REV. PRAESES mihi declarauit, ſe, oblata occaſione, quid hac de re ſentiat, libere dicturum: cuius arbitrio rem omnem relinquo. Neque adeo, mea quidem ſententia, mirum, ob tot miracula et curationes AESCVLAPIO adſcriptas, tot a veteribus nummos cuſos, quorum inſcriptiones oſtendunt, earum memoriam variis in locis ludorum feſtiuitate fuiſſe celebratam. Inſpiciatur MORELLII tabula XIII, vbi ſunt illae, quas teſtes citaui, inſcriptiones. ΑΣΚΛΗΠΙΑ. ΣΩΤΗΡΙΑ. Quo tamen loco neminem poenitebit, ea, quae vir ſummus EZ. SPANHEMIVS de Praeſt Num. Diſſ. V p 383 et in Epiſt. ad Morell. I §. II. e veterum monimentis collegit, haud ſegniter conruliſſe. Sed de Medicorum nummis deinceps exponendi commodior mihi locus dabitur. Hic autem tacitus nequeo praeterire, inſcriptionem, quae in columna Meſſinenſi apud C. PATINVM p. 69. in Theſauro T. Mauroceni legitur; ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ ΣΩΤΗΡΣΙΝ ΠΟΛΙΟΥΧΟΙΣ. Confer GRVTERVM in Inſcr. p. 68 n. 5. HVBERTVS GOLZIVS in N. inſulatum Graeciae Tab. XX. nummos ſeptem habet, quorum in vna parte caput cernitur barbatum, ab altera ſerpens vel in gyrum vel baculo circumuolutus cum inſcr. ΚΩΙΩΝ ΣΩΤΗΡ, vbi indicari AESCVLAPIVM nullum eſt dubium. Quin etiam ASCVLAPIVS SOTER itidem inſcriptus in nummis Nicaeenſium ΣΩΤΗΡ ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ, aut ΣΩΤΗΡΙ ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΝΙΚΑΙΕΙΣ. Cuius maxime exemplo Medici olim, id quod iam obſeruaui, Σωτῆρες appellati; quem honorem PANACIO Medico contigiſſe, apud ARISTAENETVM Lib. I Epiſt. XIII. relatum legitur. Hos duo titulos ΣΩΤΗΡΩΝ καὶ ΙΑΤΡΩΝ coniunxit CHOSROES, Perſarum Rex, in epiſtola ad Mauritium Imperatorem, in hiſtor. Theophili Simoc p. 185.

§ XI.

§. XI.

DICI non poteſt, quam' honorati hoc aeuo ASCLEPIADAE, vel, ſi mauis, Aeſculapii ſacerdotes fuerint, quippe τοῦ Θεοῦ δοῦλοι, *Dei ſerui* a PAVSANIA vocati, PRAXAGORAS, DIOCLES CARYSTIVS, aliique. Erant illi praecipui tunc temporis medici, qui ab ipſo AESCVLAPIO genus ducere gloriabantur. Habebant commodiora apud Aedem domicilia, eiusdemque fruebantur reditibus. Hae autem fortunae erant omnino variae, prout lautiores huius templi, quam alterius, erant reditus annui, atque donationes. Euiusmodi munera homines copioſiores, eosque liberalitatis laudem adepturos, ſacerdotum ſodalitati donaſſe, vetuſtum probat marmor, a SPONIO in Miſcell Erudit. antiqu. Sect II. p. 52. deſcriptum, quo ſingularia enarrantur beneficia in hunc ſacrum ordinem a SALVIA MARCELLINA, nobili ac locuplete matrona, large effuſeque collata.

§ XII.

PHILOSOPHI, qui hoc tempore arti medicae vacabant, ſuo ſtudio effecerunt, vt Aſclepiadae eos aemulandi incredibili cupiditate incenderentur. Hac mente ſcholas medicas, quas nonnulli cum academiis noſtris conferunt, mature inſtituerunt, eo quidem euentu, vt ſingularibus artis incrementis magnam ſibi nominis famam parerent. Fama celebres apud Graecos antiquitus fuerunt ſcholae non paucae, RHODIA in primis, CROTONIENSIS, CNIDIA, COA, et SMYRNAEA. Ex CNIDIA ſchola prodiit CTESIAS, qui ARTAXERXIS tempore in Perſia vixit, et in aula ſedecim ipſos annos medicinam exercuit. CROTONIENSEM illuſtrauit DEMOCEDES, cui DARIVS, Rex Perſarum, inter captiuos apud ipſum agenti, acceptum reſtitutae ſanitatis beneficium magnis diuitiis et honoribus rependit; non ſine inſigni humanitatis, qua nihil magis medicum commendat, in DEMOCEDE exemplo. Quum enim Rex medicos Aegyptios, qui ipſum in principio morbi imperite tractaſſent, occidi iuſſiſſet, ille culpae huius veniam impetrauit,

trauit, et gratiae loco habuit conceſſam illis cum vita libertatem. COAE denique ſcholae celebritatem propagauit HIPPOCRATES, de quo nunc plura commentarer, niſi medicorum extra Graeciam honores a nobis conſiderari, temporum iuberet ordo. Ad magnum faſtigium in gente IVDAEA hoc interuallo adſcendit ars medica; quod SALOMO, regum ſapientiſſimus, illius haud vulgarem ſibi comparare notitiam, ſua maieſtate non iudicauit indignum. In cuius rei fidem FLAVIVS IOSEPHVS, ii) atque EVSEBIVS, kk) teſtes citandi. Conſimili etiam ratione spud AEGYPTIOS, antiquos illos omnis verae ſapientiae propugnatores, tanto fuit in honore ſcientia medica, vt ne reges quidem ipſi illam facere infra dignitatem ſuam exiſtimauerint. OSIRIN et ISIN in primis reginam medendi peritia excelluiſſe, accepimus. Huc quoque pertinet NECHEPSVS, rex Aegypti, quem D. D. CLERICVS ll) perhibet CCCXLIIII annis Salomone poſteriorem fuiſſe: quod tempus incidit in illum Aegypti Regem, qui in ſacris PHARAO NECHO, apud HERODOTVM mm) vero NECOS vocatur. In PERSIA Rex CAMBYSES medicos optimos magni aeſtimauit, eiusque filius CYRVS ipſemet medicinae non parum deditus fuit, teſte XENOPHONTE. nn)

§ XIII.

IN antiqua Graecia, quae nos ad ſe reuocat, nouum exploraui honorem, quem medici eo tacti ſunt, quod POETAE, quorum inter populos profanos maxima erat dignitas, medicinae colendae operam nauare non erubuerunt. Noti ſunt poetae medici, ORPHEVS, MVSAEVS, MELAMPVS, HESIODVS, ASCRAEVS vates, EPIMENIDES, atque THALES Cretenſes, et, ſi nominum poſitiones ex meritis penſan-

ii) Antiquit. Iudaic. Lib. VIII. p. 257. ſeq.

kk) quem ANASTASIVS Epiſcopus Nic. Quaeſtion. XXVIIII. *in ſcripturam* allegauit.

ll) dans l'Hiſtoire de la Medicine.

mm) Lib. II et IIII.

nn) Cyropaed. lib. VIII. p. m. 145. ſeq.

penſandae forent, primo loco memorandus HOMERVS, et ob medicinae peritiam, et graecae linguae proprietatem medicis cum maxime commendandus. Hinc etiam HIPPOCRATEM Ὁμηρικὴν τὴν φράσιν, Homericum dicendi genus imitari, GALENVS alicubi obſeruat. Dignum eſt, quod hic non omittatur, HOMERI effatum: Ἰητρὸν πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων Tum vero etiam PHILOSOPHI MEDICI multum dignitatis ſalutari attulerunt diſciplinae, THALES MILESIVS, PHERECYDES Syrius, PYTHAGORAS Samius, nec non Crotonienſes, ALCMAEON, PIRITHOI F. Pythagoraeque auditor, EMPEDOCLES et ACRON, Agrigentini, EPICHARMVS Cous, TIMAEVS LOCRVS, DEMOCEDES, DEMOCRITVS, HERACLITVS Epheſius, DIAGORAS, MELIVS, SOCRATES, antiquae philoſophiae decus ſingulare, et ex barbaris ad Graecos peregrinatis, XAMOLXIS, Thracum ſiue Getarum philoſophus, atque ARARIS, Scytha hyperboreus. Hoc quoque aeuo medicina Gymnaſtica, ab HERODICO Selymbrienſi, vt videtur, introducta, haud ſane exilem medicis conciliauit honorem, atque declarauit, prudentes hos viros de valetudine hominum tuenda ſollicitos, noua in dies, eaque maxime ſalutaria, inuenire ſubſidia.

§. XIIII.

NVNC nouum temporis interuallum, idemque primae periodi poſtremum, attingam, quod inde ab HIPPOCRATE, id eſt, ANNO Olympiadis LXXX PRIMO, qui fuit A. C. N. CCCCLX, in hiſtoria medica numerari ſolet. Scholas iam ſupra medicas non ſine laude commemoraui, ſed ceterarum omnium gloriam COAE obſcurauit ſcholae felicitas, poſtquam ex illa prodierat, qui primus hanc diſciplinam a ſtudio ſapientiae ſeparauit, atque ἰατρὸν φιλόσοφον ἰσόθεον nominauit, diuinus HIPPOCRATES COVS, magnum et venerandum nomen, medicinaeque parens. Is non tantum ſapientiſſimis praeceptis artem hanc formauit, ſed et ipſe vita et moribus perfectiſſimum medici exemplar expreſſit. Tanto itaque viro maximi honores deferebantur, neque hi modo a Cois

ſuis, qui imagine ipſius nummos ſignarunt, oo) ſed etiam ab vniuerſa Graecia, quae communi concilio, quod venientem ab Illyriis peſtilentiam praedixerat, diſcipulosque ad auxiliandum circa vrbes dimiſerat, honores illi, quos HERCVLI, decreuit; vt memoriae prodidit PLINIVS, H. N. Lib VIII. cap. XXXVII. Ciuem porro adſcripſerunt Athenienſes, auro coronarunt, et victum illi et poſteris in Prytaneo dederunt, pp) qui honos in Graecia maximus habebatur. Athenienſes enim, cultiſſimi ſcientiarum omnium aeſtimatores, hanc artem plurimi ſemper fecerunt, apud quos antiqua lege cautum fuit, *Ne quis ſeruus, neue qua femina medicinam diſceret;* qq) et tam ab iis, quam ab aliis Graeciae ciuitatibus, honores et immunitates eximiae publica cura medicis concedebantur, rr) ſicut et Aegyptiis medicis ex publica pecunia dabantur praemia. Hic loci poſſet aliquis nobis reclamare, non adeo magnam medicis hoc aeuo fuiſſe dignitatem, ob ἀηδίαν quippe, et fuillos mores, reliquo hominum generi vehementer odioſis. Hoc mihi dubium mouenti duo, quae reſpondeam, in numerato habeo. Primum Comicis antiquis nihil fuit ſollemnius, quam innocentes etiam conuitiis lacerare homines. Cui adſertioni SOCRATIS exemplum fidem in hiſtoria facit philoſophica. Comici enim tantum ſunt, qui inter veteres communi quaſi prouerbio ſuo per Hippocratis filios, id eſt, medicos, homines imprudentes, ineptisque moribus, denotarunt. Ad hos prouocant ATHENAEVS, ss) GALENVS, tt) alii. Alterum, quod reſponſi loco dare potero, illud eſt, quod comici non *omnes* in vniuerſum, ſed tantum *aliquos*

medi-

oo) vid. nummus HIPPOCRATIS a Cois ſignatus, in fronte orationis V. C. R. MEADII infra excitandae. Accepit enim ex Theſauro Regis Galliarum copioſiſſimo.

pp) SORANVS in vita HIPPOCRATIS.

qq) PETITVS Leg. Attic. Lib. III. Tit. VIII. HYGINVS fab. CCLXXIII.

rr) LVCIAN. Abdicat. p. m. 457.

ss) Deipnoſophiſt. Lib. III cap. XVII. ὡς εἰς ἀηδίαν κωμῳδημένως οἶδα.

tt) Libro, quod animi mores ſequantur temperamentum corporis, p. 346. ed. Graec. Baſil. ὡς ὅτι μαγείᾳ σκώπτουσιν οἱ κωμικοί.

medicos, ob ſuillum ingenium traduxerint. Ita enim EVPOLIDI Ἱπποκρᾶτες ΠΑΙΔΕΣ ἐμβόλιμοι ΤΙΝΕΣ diſerte dicuntur, quos ARISTOPHANIS Scholiaſtes nominatim adduxit, TELESIPPVM nempe, DEMOPHONEM atque PERICLEM, homines obſcuros. A particulari vero ad vniuerſale N. V. C.

§. XV.

RELIQVA ſunt nonnulla ex HIPPOCRATIS COI aeuo de medicorum honoribus annotanda. Vt DAMOCEDIS aetate principes viri, florenteſque ciuitates, optimum quemque et celeberrimum medicum lautiſsimis auctoramentis alliciebant, et apud ſe retinere conabantur: ſic HIPPOCRATIS aeuo fuiſſe, reperimus. Ipſe enim, patria Coa relicta, in Theſſalia vixit, et filius THESSALVS Archelao, NICOMACHVS autem, Ariſtotelis ſtagiritae pater, AMYNTAE, Macedonum Regibus, erant addicti. Qui tunc in vrbem aliquam veniebat, medicus a magiſtratu, vel populo, ſicubi democratia erat, medicae artis exercendae facultatem impetraturus, ei oratio publica recitanda erat, qua declararet, quisnam eſſet, quibus praeceptoribus in medicina colenda vſus, quos homines ad confirmanda artis praecepta ſecutus eſſet, breuiter, an rationis et experientiae culturam amico ſociauiſſet foedere. Id certe Athenis obtinuiſſe, ex XENOPHONTIS uu) recenſione ſatis perſpicua haud licet obſcure colligere. Quemadmodum vero etiam, canente VIRGILIO, Lib I. Georg. v. 153.

- - - - - inter nitentia culta
Infelix lolium, et ſteriles dominantur auenae:

ita hac etiam tempeſtate homines erant, qui artis honores imminuebant, pecuniae quidem parandae, oſtentandaeque artis ſtudioſi, at in arte parum verſati. Iactat medicorum parens ea de re vltro citroque in ſcriptis ſuis querimonias, idque vnum dolet, ſolos medicos delinquentes nulla in re publica

 poena

uu) de factis et dictis Socr. Lib. IIII. p m. 498.

poena coerceti, praeterquam ἀδοξίας ſeu ignominiae, famaeque iacturae. vv) Verum addit, hanc non afficere eos, qui toti, quanti ſint, ex infamia ſint compoſiti Sed hoc etiam antiqui docent annales, eo maiorem nominis famam reportaſſe EVRYPHONTEM, PHAONTEM, PHILISTIONEM, ARISTONEM, EVDOXVM CNIDIVM, AESCHINIS F. THEOMEDONTEM, CHRYSIPPVM, ERINEI F. CNIDIVM, METONEM Athenienſem, aliosque vel Medicinae ſolius, vel eiusdem cum philoſophia coniunctae, laudibus excellentes. NICOMACHVS, quem modo memoraui, AMYNTAE, Macedonum Regi, ita carus erat, vt cum eo viueret ἰατρῷ καὶ φίλῳ χρείας h. e. vt noſtri more ſaeculi loquar, archiatri et conſiliarii dignitate conſpicuus.

§. XVI.

Poſt HIPPOCRATIS COI aetatem maximi, quos Graecia Medicis habuit, honores ſummo ingenio excitauerunt homines, vt Medicinam callere laudi ſibi ducerent. ARISTOTELES in primis hereditario quaſi iure ad ſe pertinere hanc artem ratus, quippe quum ab Aeſculapio genus deriuaret, Medicinam non didicit tantum, ſed et factitauit, teſte AELIANO, V. H. Lib V. cap. VIIII. librosque de plantis, de Anatomicis, et ἰατρικῶν etiam edidit, DIOGENE LAERTIO in vita eius auctore. Quin et medendi ſcientia M. ALEXANDRI beneuolentiam ſibi primum conciliauit; quem quum graui morbo oppreſſum liberaſſet, hanc ab eo facultatem Rex inuictiſſimus doceri voluit, neque illam interdum exercere, vile, aut a ſumma ſua Maieſtate alienum iudicauit, PLVTARCHO, qui vitam eius deſcripſit, teſte. Cui quidem exercitationi commodiſſima erat Mieza, villa ſcilicet regia, a vulgi frequentia remotior, otioque tranquillo ſatis idonea. ALEXANDRI M. vero ſplendore, dici non poteſt, quantum Medicina fuerit ad omnes gentes propagata. Aegyptus erat Graecis hominibus permixta, Alexandria ipſa, Aegypti metropolis, commerciis cum gentibus remotioribus erat accom-

vv) de Lege, §. I.

accommodata, eademque Indis per ſinum Arabicum nunc faciliora. Quo etiam tempore ſchola Alexandrina coepit eſſe florentiſſima. Nec minus reliqua per vniuerſam Aſiam expeditio, et Graecarum coloniarum vbiuis erectarum copia, Medicorum dignitatem auxit. Etenim poſtquam Graeci Macedones auſpicio ALEXANDRI M totius Aſiae, aliarumque regionum potiti eſſent, quemadmodum omnia ad mores culrumque victoris ſeſe accommodare ſolent, ita religio quoque medica ab illo ipſo tempore per longe maximam orbis partem ſic inualuit, vt Aeſculapii atque Serapidis cultus vbique ciuitate quaſi donaretur. Alter Ariſtotelis diſcipulus, isque regio itidem diademate et purpura ornatus, PTOLOMAEVS erat PHILADELPHVS, Lagi cognomine dictus; vt alios, qui in minore vixerunt dignitate, mittam. Eos vero, a me impetrare nequeo, vt tacitus praeteream, quibus ALEXANDER, quum in maximo vitae diſcrimine verſaretur, ſalutem ſuam credere non veritus eſt, PHILIPPVM ACARNAN, CRITODEMVM, ALEXIPPVM praecipue, caſtra eius in Indiam ſecutum, cui verbis ad humanitatem compoſitis gratias egit ipſe Rex, ſcripta epiſtola, quod Peuceſtam a morbo reſtituerit, teſte PLVTARCHO. Nec valde dubito, ARABES ſimul cum armis litterarum ſtudia tractantes ad hunc referre temporis articulum: ſaltem ii commemoratione digni mihi videntur. Iis enim ſaeculis, quibus foeda barbaries ceteras fere nationes obduxerat, penes eos permanſit artis huius ſcientia. Deficiunt quidem hac in parte annales medici, et linguae ſuae difficultatibus inuoluta in bibliothecarum foruliis latent, quae de medicorum hiſtoria gentis illius ſcriptores memoriae mandarunt. Speciminis autem loco ex ineditis eorum monimentis perſpicere licet, tanti ab illis habitam medicinam, vt non tam miniſtri, quam conſiliarii, atque adeo affines Regum, eſſent medici, et terrarum reditus, et vrbium praefecturae illis haud raro in mercedem cederent. In antiquo MS. Arab. Oſaibeae de vitis medicorum memoriae proditum legitur, *quindecies centena millia drachmarum* Imperatoris medico, annuo ſtipendio fuiſſe. Drachmas hic non Atticas, ſed Arabicas intelligi,

ligi, res ipſa indicat. GRAVIVS, veterem Atticorum drachmam grana 67 Anglicana, Arabicam vero 47$\frac{4}{5}\frac{8}{8}$. exaequate annotauit. Vid GREAVE'SS Diſcourſe of the Roman Denary p 61 115. D D. MEAD in oratione Harueiana, p 13. iſtud aes ad pecuniam in Anglia vſitatam exegit, eamque plus, quam *tricies mille librarum* ſummam conficere cognouit. Hae noſtra erunt computatione *centies ſeptuagies millia Imperialium*, quos ex Gallica moneta Anglis noſtri ſoluunt mercatores. Ingens ſane nimis et forſan vix credibilis haec principum videretur munificentia, niſi ipſi Regum affines apud Arabes habiti eſſent medici.

§. XVII.

IN Graecia vt huic etiam aetati Medicinae ſua gloria ſtetit atque eximia artis dignitas. ita ex meritis honeſtauit celeberrimos Duumuiros, HEROPHILVM Chalcedonenſem, atque ERASISTRATVM, maximum PLINII, lib XIIII. cap. VII. teſtimonio, medicum. Horum, qui ſub initiis Antiochi ſoteris, Syriae regis, floruerunt, diſcimus exemplis, idem Medicae arti, quod et aliis liberalibus diſciplinis, olim vſu veniſſe, vt Profeſſores eius in diuerſas ſectas diſtinguerentur. Sectae enim Herophileorum et Eraſiſtrateorum, quae ab his auctoribus profectae ſunt, annos circiter CCLX eximia laude celebrabantur. Huius rei teſtem cito locupletem STRABONEM Geogr. lib XII. ſub fin. cuius verba huc adſcribam *Μεταξὺ τῆς Λαοδικείας καὶ τῶν Καρούρων ἱερόν ἐςι, Μηνὸς Κάρου καλούμενον, τιμώμενον ἀξιολόγως· συνέςηκε δὲ καθ' ἡμᾶς διδασκαλεῖον Ἡροφιλείων ἰατρῶν μέγα ὑπὸ Ζεύξιδος, καὶ μετὰ ταῦτα Ἀλεξάνδρου τοῦ Φιλαλήθους καθάπερ ἐπὶ τῶν πατέρων τῶν ἡμετέρων ἐν Σμύρνῃ τὸ τῶν Ἐρασιςρατείων ὑπὸ Ἱκεσίου· νῦν δ' οὐχ ὁμοίως τι συμβαίνει.* Inter multos igitur ac varios honores, qui medicis olim tributi ſunt, ſingularis ille eſt, quem a SMYRNAEIS, ii, qui alterutri harum ſectarum ſe addixiſſent, acceperunt, vt nomina illorum in NVMMIS, tanquam in illuſtri monimento, collocarentur Hi enim, quo medicae artis profeſſorum famae ac dignitati conſulerent, eos magno numero cuden-

dendos curarunt; ſicut antiqua teſtantur rudera. Eiusmodi nummos Reu. EDMVNDVS CHISHVLL, S. T. B. dum Smyrnae commoratus eſt, ſibi comparauit, quos attentiori cura expendens, ex nominibus et figuris inter ſe collatis ad rem medicam pertinere, mox deprehendit. In patriam redux, eos cum D.O RICHARDO MEAD, Regii Medicorum Collegii Londinenſis ſodali, communicauit, qui hinc occaſionem nactus eſt diſſertationem de NVMMIS quibusdam a SMYRNAEIS in Medicorum honorem percuſſis, elaborandi, quam poſtea orationi anniuerſariae Harueianae, in Theatro Regii Medicorum Londinenſium Collegii, de Medicorum apud veteres honore A. D XVIII OCTOBRIS CIƆ IƆCC XXII habitae, adiecit, Londinique apud S. BVCKLEY CIƆ IƆCC XXIII 4. publicae luci expoſuit. xx) Quum haec diſſertatio, a nobis ſemel iterum atque ſaepius non ſine inſigni animi voluptate perlecta, in terris noſtris rarior ſit. iuuat potiora eius momenta recenſere. Duplex nummorum ſeries, aeneis tabulis inciſa, profertur· quarum altera medicorum nomina, altera varia Deorum ſalutarium ſimulacra repraeſentantur. NVM I tres exhibentur nummi, quorum in auerſa area ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΞΕΥΞΙΣ, SMYRNAEORVM XEVXIS, legitur. Is eſt ZEVXIS ille Herophileus, magnae iſtius prope Laodiceam ſcholae magiſter, et ſectae cuiusdam medicae auctor et anteſignanus, teſte STRABONE NVM II duo exſtant nummi, in quorum auerſa parte ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΚΕΣΙΟΣ apparet. Hic vero eſt HICESIVS ſcholae Eraſiſtrateae in Smyrna vrbe magiſter, teſte eodem STRABONE NVM. III. duo iterum ſunt nummi, in quorum altera conſpicitur area· ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΑΠΟΛΛΟΦΑΝΗΣ, id eſt, APOLLOPHANES ſeleucenſis, Antiochi M. medicus, auctore POLYBIO, Lib. V NVM. IIII. quatuor inueniuntur nummi, quorum in trium auerſa parte inſcriptum· ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΑΤΡΟΔΩΡΟΣ, adaptato ſcilicet ad medicinae profeſſionem IATRODORI nomine, quartus autem habet· ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΑΣΩΝ ΙΑΣΩΝΟΣ, hoc eſt,

xx) Conf. Acta Eruditorum Latina ad A. CIƆ IƆCC XXVI. menſ. April. p. 166. ſeqq.

eſt IASON IASONIS F. NVM. V. tres conſpiciuntur nummi: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΑΘΗΝΑΓΟΡΑΣ inſcripti NVM. VI. quatuor adhuc nummi comparent Primus inſcribitur: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΣΕΡΑΠΙΩΝ, alter: ΠΑΣΙΚΡΑΤΗΣ, tertius ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΣ ΠΑΣΙΚΡΑΤΟΥΣ, h. e. METRODORVS PASICRATIS F. quartus, idemque vltimus: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΤΡΙΚΚΑΣ, Hermogenes Triccae, vrbe Theſſaliae, patria quaſi Aſclepiadarum, natus. HOMERVS certe ita de hac canit vrbe, et ei vicina *Ithome*, ΙΛ. Β. v. 729.

Οἱ δ' εἶχον ΤΡΙΚΚΗΝ καὶ Ἰθώμην κλωμακόεσσαν,
Τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε

§. XVIII.

PRIMVS ZEVXIDIS nummus in aduerſa area *caput muliebre laureatum* ſiſtit, quod, reiecta eorum antiquariorum, qui APOLLINEM Ἰήϊον muliebrem deſcriprum, contenderunt, opinione, HYGIAE, Aſculapii filiae, Londinenſis Medicus vindicauit. In hac confirmatur coniectura, quoniam cum Aeſculapio, quicum eundem honorem nacta erat, coniuncta reperitur, ſiquidem in auerſa area ſimulacrum AESCVLAPII, qui ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ ΖΕΥΣ dictus eſt, yy) eiusque, Iouis more, ſedentis, caput ſtrophio reuincti, palliati, ſmilam, ſeu gladiolum chirurgicum, manu ſiniſtra tenentis, et dextram labio admouentis, conſpicitur. Ab eius dextro latere baculi protenſi apex, ante pectus aſtrum eminet. Idem aſtrum in IATRODORI et ATHENAGORAE nummis conſpicirur, in HICESII vero, METRODORI, et omnibus, quos repraeſentat, Eraſiſtrateorum nummis abeſt; vnde ſuſpicio naſcitur, proprium Herophileae forſan ſcholae ſignum hoc fuiſſe aſtrum. In aliis, praeter idem muliebre caput, altera ex parte ISIDIS ſacra, palmae nimirum ramus, et ex cauo aere manus ſiniſtra deformata, porrecta palma, comparent. Tertium nummorum genus in aduerſa area *caput turritum* Matris deorum,

SI-

yy) Conf. Bibliotheque Angloiſe, Tom. XII. Part. II. p. 494.

SIPYLENAE, tutelaris Smyrnaeorum deae, zz) nec non in auerſa ſimulacrum REGINAE ISIDIS, ſanitatis praeſidis, exhibet. Nummi hi omnes a pag. XXVIIII vſque ad XXXIIII recitantur, poſtea vero eorum ſequitur expoſitio, vna cum ſubiectis notis, iisque ex interiori antiquitate petitis p. XXXV vſque ad LVI, vbi diſſertatio feliciter explicit. Si quis hoc mouere dubium conetur, Aeſculapium, vt ſacerdotem potius, quam medicum, nomen ſuum in nummis inſcribendi habuiſſe poteſtatem: iis ita fit ſatis, cum ISIDEM, tum AESCVLAPIVM, diuinos ſuos honores medicae arti primum debuiſſe. Itaque quum templis ſacrisque caerimoniis illos, tanquam Numina, Smyrnaei adornauerint, medicosque potiſſimum *ἱερέας* ſeu potius *ἀρχιερέας* ipſis elegerint, artis cauſſa, quam cum diis iſtis communem habuerunt, ornamentum vtrumque in eos collatum fuiſſe, non immerito conicimus. Neque enim ſummi ſacerdotis dignitas perpetua, ſed annua tantum fuit, ſi LVCIANO credendum, qui de ſummo SYRIAE DEAE ſacerdote hoc diſerte teſtatur: *Ἀρχιερεὺς ἄλλος ἑκάστῳ ἔτεος ἐπιγίγνεται.* Vt igitur ſacerdotum AESCVLAPII magna erat apud Smyrnaeos excellentia: ita credibile, ſummo potiſſimum ſacerdoti, eique vrbis medico, celebratis ludis ſacris Aeſculapicis, ad conſeruandam dignitatis ſuae memoriam, permiſſam fuiſſe annuam poteſtatem nummos huc ſpectantes proprio ſuo nomine ſignatos emittendi. Is in ſacris

E Perga-

zz) Hinc fanum eius nobiliſſimum, *μητρῷον* Smyrnaeis dictum, ARISTIDI vero *ναὸν ὁ κάλλιστος τῆς ἡλικίας διὰ τὴν πόλιν*. Eam vrbs vtraque iurauit in Smyrnaeorum et Magnetum foedere v. 60. 61. 71. *Ὀμνύω διὰ γῆν καὶ τιμωτέραν τὴν* ΣΙΠΥΛΗΝΗΝ h. e. iuro Iouem, tellurem, et Matrem SIPYLENAM. Vbi in marm. Oxonienſi male vertitur: per terram. Nam *διὰ* in iurandi formulis alterum caſum ſecum habet, vt apud DEMOSTHENEM, *διὰ πυρὸς ὀμνύων*. Vnde inter deos, quos S. C et Principum Conſtitutionibus heredes inſtitui conceſſum fuit, enumerari reperimus *Apollinem Didymaeum*, *Dianam Epheſiam*, MATREM DEORVM SIPYLENEM, *quae Smyrnae colitur* Vlp. Tit. XXII §. 6.

Pergameni ſophiſtae declamationibus Ἱερὸς, nec non Ἀσκληπιακὸς κατ' ἐξοχὴν dici videtur.

§. XVIIII.

A GRAECIS ad ROMANORVM tempora deuenientibus minus augusta, primo quidem adſpectu, et parum honorifica, ſeſe offert rerum medicarum facies Ignobilem et ſeruilem medicorum, apud veteres olim Romanos viuentium, fuiſſe conditionem, vulgo creditur; et pulſos vrbe exulaſſe medicos, M. PORCIO CATONE cenſore, ſcriptis prodiderunt nonnulli. Haec in opprobrium artis prolata, quodnam habeant fundamentum, meae partes ſunt diſquirere. Vtar vero hac in re exploranda vtraque, quae in hiſtoria requiritur, virtute, ἀκριβείᾳ, atque diſtinctione: acturus primum de *origine medicinae Romanae*, hinc, quid de *eius exilio* ſtatuendum mihi videatur ac denique *conditionem* eiusdem curatius exponam Spondeo etiam, me compoſita mente ad hanc cognoſcendam cauſſam acceſſurum. Ad *originem* igitur medicinae Romanae quod attinet, eam vltimis iamiam temporibus perlatam eſſe Romam inuenio Morbos enim, et ſanitatis Praeſides, mature ſuſpiciebant Romani, febrem pro deo colebant, ipſique fanum, vel ſi DALECHAMPIVM aaa) mauis ſectari, tria Romae fana, conſecrauerant. Nec non priuatis morbis auerruncos deos, et Syluano deo, noctu puerperas vexanti, tres deas, INTERCIDONAM, PILVMNAM et DEVERRAM opponebant. Quo pacto, publica quadam calamitate in ciuium vitam ac valetudinem saeuiente, APOLLINI, AESCVLAPIO, SALVTI DEAE, dona deuota ſint, quaeque caerimoniae obſeruatae, ex nemine melius, quam ex LIVIO, Romanae hiſtoriae principe, intelligi poterit. Certe APOLLINI A.V.CCCCXXI aedes deuouebantur: AESCVLAPIVM item EPIDAVRO Romam A. V. CCCCLX arceſſitum, Epitomae docent Liuianae, Lib. XI. Maius dicam. DIONYSIVS HALICARNASSENSIS auctor

aaa) ad CIC. Lib. III. Cap. VII, de Nat. deor.

auctor eſt, contra vtramque luem, quae A. V. CCLXXXII et CCCI Romae graſſata ſit, nec medicamenta, nec medicos quidquam valuiſſe. Addit idem, propter curantium inopiam multas deſolatas familias. Ex qua narratione colligo, iam tum Romae medicos fuiſſe, eosque Graecia, vnde et totum Aeſculapii cultum petierant Romani, in vrbem perueniſſe. Verum hos in arte non nimis profeciſſe, eiusque publica nulla edidiſſe ſpecimina, iudico. Iam igitur certum eſt, hos Graecos fuiſſe, quoniam a Graecis omnis ſcientia Romam translata fuit. Quum vero ipſum Graecorum nomen Romanis eſſet odioſum: vix credibile videtur, homines ingenuos, et apud ſuos dignitate florentes, quaeſtus ergo Romam migraturos, ibidemque ludibrio populi ſeſe expoſituros fuiſſe. Vnde mihi veriſimilius fit, humiles potius ſeruos medicorum Graecorum Romam conceſſiſſe, viliſsimo in pretio habitos. Sane quum medicina gymnaſtica oriretur, homines erant, qui primo tempore, medicorum iuſſu ac praeſcriptis, frictiones, ſudationes, vnctiones, balnea, diſtorſorum repoſitiones, fractorum vulnerumque curationes, adminiſtrabant, vtpote viliora, medicique perſona tantum non indigna negotia. Hi erant ſeruili conditione, vocabanturque reunctores, aliptae, tum vero lucrum aucupaturi, ſuis auſpiciis, talia peragebant, mox Patroliptarum, mox medicorum, affectantes nomen. HIPPOCRATES etiam inter medicorum ὑπηρέτας, *ſeruos* diſertis numerat verbis, eosque experientiam magis, quam rationem, ducem atque magiſtram conſectatos, enarrat. bbb) Hinc, dic, quaeſo, mihi, digni erant, qui medicorum, i. e. arte excellentium nomine honorarentur? Hoc mihi quidem nemo perſuadebit, etſi omnem nauauerit operam, vt me hanc in opinionem adducat.

§. XX.

PRIMVS autem e medicis in Vrbe artem publice eruditeque profeſſus eſt ARCHAGATHVS, Lyſaniae filius, qui

bbb) de Legibus, IIII. p. 563. b. 537. a.

L. AEMILIO et M. LIVIO COSS. A V. ID XXXV, Peloponneſo relicta, Romam ſua ſponte ſe contulit. Cui vix aduentanti tantus honor a S. P. Q. R habitus eſt, vt *ius Quiritium ei datum ſit, et taberna in campito Acilio emta ob id publice.* ccc) Sic artem, cuius luculenta ſpecimina ARCHAGATHVS haud dubie dederat, meritiſſimis proſequebantur praemiis. Ita capio PLINIVM lib. XXVIIII. Cap. I. ſcribentem, populum Romanum ante hoc tempus vltra ſexcentos annos medicis, h. e. viris in arte expertis, caruiſſe. Iam demum medicina in formam artis redacta Romam peruenit: ſerius certe, quam diſciplinae vtiliſſimae poſtulauit neceſſitas, *rudi ſcilicet et bellicoſa ciuitate non magnopere liberalibus diſciplinis vacante.* ddd) Nec Grammaticam quidem aut Poeticam, ante annum quingenteſimum excoluerunt Romani. Atque hac ratione viam mihi paraui de *medicina exule,* quaeſtionem, calumniam rectius dixerim, paucis expediendi. Nulla certe antiquorum annalium fide, nullis veterum monimentorum indiciis, hoc nititur commentum. Primus, quod ſciam, in vulgus edidit, vaniſſimus ille de vanitate ſcientiarum ſcriptor, CORNELIVS AGRIPPA, eee) quem ſecuti ſunt alii, medicae diſciplinae indigni aeſtimatores. Anſam vero ad hoc fingendum dedit allegatus PLINII locus, vbi ſcriptor, *populum medicinae auidum, eam expertam tandem damnaſſe*, adductis etiam CATONIS ad MARCVM F. aduerſus hanc artem dicteriis, memoriae mandauit. Ex his verbis nego ſequi, tantum valuiſſe, aut atrocem animum, aut auctoritatem CATONIS, vt medicos Vrbe pelleret. Rem, prout hiſtorici narratio fert, eloquar atque explicabo. CATO Graecos omnes inueterato afficiebat odio. Romani omnes Graecis parum fauebant, ex antiqua, neſcio qua, vaticinatione certiores redditi, magna eos mala quandoque Romae illaturos. Erant inter Graecos, qui Romanos barbaros dicebant, et ſpurcius eos, quam alios, opicos appellatione foedabant. Romae

vbruis

ccc) PLINIVS H. N. Lib. XXVIIII. Cap. I.

ddd) SVETONIVS, Lib. de Illuſtr. Gramm. initio.

eee) Cap. LXXXIII.

vbiuis leue inſidumque Graecorum habebatur ingenium. A multo iam inde tempore medicorum ὑπηρέται ſtupidi artisque ignari plurima, cum hominum periculo, experimenta fecerant, quaeſtus cupidi, et pretium vitae humanae conſtituentes. Nimism et ab artis praeceptis abhorrentem ſecandi vrendique ſaeuitiam exercuerant, medicinamque in odium adduxerant, quaſi non alio, quam carnificinae, loco habenda foret. ARCHAGATHI igitur aduentus, eiusque ars ſpectatisſima, tanto iis laetior acceptiorque initio erat, quo magis illius erant pertaeſi carnificinae. At ſucceſſu temporis factum, vt et hic vir artis ſuae, vt tum erant tempora, callentisſimus, certis vlceribus ac vulneribus eandem ſecandi vrendique curam, quam tamen ipſa imperauerat ars atque miſericordia, opponeret: iſtorum eorundem hominum forſitan vſus opera. Cuius igitur ars quum etiam hominum Romanorum exſpectationi non ſemper ſaceret ſatis; quandoquidem OVIDIO canente fff)

Non eſt in medico ſemper, releuetur vt aeger,
Interdum docta plus valet arte malum:

eam ita expertam tandem damnabant, nihili pendebant, et aſpernabantur. Confundebant eos, qui mercede, rudi Minerua, manu infeliciſſime curabant, cum eo, qui artem non ſemper feliciter ſuccedentem erudite ſagaciterque colebat. Hunc igitur non minus, quam illos ſuſpectum habebant, quaſi in perniciem Romanorum coniurauerint; maxime quum experientia iam diuturna edocti eſſent, multos iam homines ea curatione interiiſſe. Haec ratiocinandi ratio nec CATONIS rigore, nec populi indigna erat imperitia. Sed licet hac CATONIS, hominis ſupercilioſi, aetate, non perpetua fuerit medicinae fortuna: fauſtiora tamen breui ſidera eidem illuxerunt. De his deinceps mihi dicendi locus dabitur.

§. XXI.

NVNC demum, *an ſeruilis fuerit medicorum apud Romanos*

E 3

fff) Lib. I. de Ponto Epiſt. III. v. 17.

manos degentium conditio, deſcriptius oſtendendum. Sunt qui hos omnes ſeruos fuiſſe, opinantur, vt ROBERTELLVS, vna cum aliis eidem ſententiae patrocinantibus. Clariſſimus autem vir, IACOBVS SPONIVS, Miſcell. erud antiq. p. 144 medicinam Romae profeſſos cenſet ingenuos omnes, et libertos fuiſſe, ac indigne fert, ROBERTELLVM, eiusque ſequaces, adſerere, *Romae tantum ſeruos medicinam exercuiſſe* In qua lite dirimenda omnium cautiſſime, niſi nos omnia fallunt, verſabimur, ſi medicos a medicaſtris cum cura diſcreuerimus. Primi igitur medicaſtri Romani, id quod paullo ante ex hiſtoria retuli medica, erant ſerui, abiectiſſimaeque conditionis homines. Hos etiam poſtea ſemper, vt fieri ſolet, inter vilia mancipia exſtitiſſe, non dubito. Ad medicos vero quod attinet, hi erant partim ingenui, partim ſerui, iique melioris indolis. Primus, qui ingenuis viam parauit, ARCHAGATHVS erat, vir ſine dubio liber ac honeſtus. Huic eidem rei argumento ſunt SEXTIVS NIGER, IVLIVS BASSVS, CAIVS VALGVS, CORNELIVS CELSVS, MACER, SCRIBONIS LARGIVS, aliique medici omnes ingenui. Nec vero ſeruis artis medicae cultura prorſus erat interdicta. Eadem ſcilicet fata medicinae fuerunt, ac liberalium litterarum, quae maxime quidem ingenuos decebant, in vniuerſum autem ſeruos, ſi ingenio valerent, ob merita manumittendos aliquando, non excluſerunt. Neque enim exiſtimandum eſt, eos poſt manumiſſionem demum litterarum ſtudiis initiatos fuiſſe. Ac diuites quidem Romae in ceteris ſeruis vrbanae familiae et medicos habuiſſe, praeter alios etiam PIGNORIVS docet in commentario de ſeruis: quos SENECA ggg) *domeſticos et familiares medicos* appellat Eiusdem huc pertinet locus ſat celebris. hhh) *tenebatur incluſus Domitius, imperauitque medico, eidemque ſeruo ſuo, vt ſibi venenum daret* AVGVSTVS in epiſtola ad Agrippinam iii) *Mitto praeterea cum eo*

ggg) de Conſtantia Sapientis initio.
hhh) Lib. III. de Benefic. Cap. XXIII.
iii) SVETONIVS in Caligula cap. VIII.

eo ex ſeruis meis medicum. His ſeruis ſi fides adfuiſſet integritasque, hac via ad libertatem emerſere, manumiſſi a Dominis ſuis, et maioribus rebus plerumque admoti.

§ XXII.

EVNDEM in cenſum referri ANTONIVS MVSA meretur, qui, poſtquam eius opera ex ancipiti morbo conualuerat OCTAVIVS AVGVSTVS, ſtatuam, aere collato P. R. L. M. Q. poſuit, referente SVETONIO in vita AVGVSTI, cap. LVIIII. AVGVSTVS eidem quoque ius annuli aurei et immunitatem, nec ipſi ſolum, ſed omnibus medicinam profitentibus, in poſterum tempus conceſſit, DIO H. R. Lib. LIII. ſub finem. Errat SPONIVS ex VI uiratu Auguſtali Charmi Medico tributo concludens, quod munus iſtud inter prima ciuitatium officia emineret, eum ingenuum et nobilem fuiſſe. Namque ad hunc eundem aditus nec libertis erat praecluſus, quin potius illis etiam delatus, atque aere ſaepius redemtus; id quod ſequens ex MERCVRIALIS variis lectionibus Lib. III. petita, inſcriptio declarat:

P DECIMVS P L. EROS
MERVLA, MEDICVS
CLINICVS, CHIRVRGVS
OCVLARIVS. VI VIR
HIC PRO LIBERTATE DEDIT H S L
HIC PRO SEVIRATV IN REMP.
DEDIT, H. S. ꝏ ꝏ

SPONIVS iam notatus omnes Romae medicos ingenuitati aſſerturus, a vero ſaepius receſſit, τῇ ὑποθέσει δουλεύων. In hac enim inſcriptione

M. LATINIVS
MEDICVS
OCVLARIVS.

e Maluaſiae Marmor. Felſin. litteras M. L. poſt LATINII nomen, libertinae conditionis notas, detraxit. In hac

M ALLIVS PAMPHILVS
MEDICVS.

MALLIVS, cum IVSTO FONTANINO in Antiquitatibus Hortae, exploſa interpunctionis ad praenomen diſtinguendum

dum notulas legendum. Inde colligendum, illum e ſeruorum grege, nec ciuitate adhuc donatum fuiſſe, quum praenomine, quo omnes vtebantur ciues, careret. Non igitur ars erat ſeruilis apud Romanos medicina, ſed liberalis et tanto in honore, vt etiam ſeruis et exili ſorte hominibus, qui in ea colenda multum poſuerant operae, libertatem ſaepe daret, et magnas opes. Tali erant conditione CALPVRNIVS ASCLEPIADES, qui a diuo TRAIANO ſeptem ciuitates impetrauit. IO. SPONIVS, Recherches curieuſes Diſſ. XXVI inſcriptionem hac de re affert, in eo iure meritoque viruperandus, quod liberalitate non temere fingenda ſeptem vrbium imperium ab Imperatore ipſum obtinuiſſe, hinc concludat. Hic potius genuinus illius ſenſus eſt, hunc Aſclepiadem, e gente Calpurnia manumiſſum, praeter Romanae, ſex aliarum ciuitatum iura ab Imperatore obtinuiſſe.

§. XXIII.

QVAE quum ita ſint, perſpicuum eſt, mediam nos viam rutius elegiſſe, atque, non inuita veritate, credere, medicinam et ab ingenuis ac nobiliſſimis viris cultam, et a ſeruis litteratiſſimis exercitam fuiſſe. Hinc HIPPOCRATES inter medicorum *ὑπηρέτας*, ingenuos etiam numerat, qui artem cum rationibus a magiſtris diſcunt. Nec M. T. CICERO medicinam inter honeſtas artes referre dubitauit, Lib. II. de Officiis Cap. XLII. Hos peregrinos IVLIVS CAESAR, Vrbi, bellis ciuilibus exhauſtae, priſtinam copiam redditurus, vt apud SVETONIVM eſt cap XLII. *omnes medicinam Romae profeſſos, ciuitate donauit.* Principum medicis annua ſtatuebatur merces. Iis autem, referente lib. XXVIIII. Cap. I. PLINIO, *imputauit Stertinius, quod quingentis ſeſtertium millibus contentus eſſet, quum ſexcenta quaeſtu Vrbis ſibi eſſe, numeratis domibus oſtenderet.* Ipſe vero et frater eius ſua pecunia Neapolin operibus exornarunt, et tamen *cenſus trecenties centena millia ſeſtertium heredi reliquere.* Omitto plura exempla memorare, neque Caſſios, Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubriosque ſiſtam, Romana nomina, quae profeſſione medicinae et opibus clarue-

ruerunt. In nummis Rubriorum, quum medicinae laude olim floruerint, DEAE SALVTIS, vna cum angue, ſignum ideo conſpici, vero ſit ſimile. Vt adeo mirum ſit, in iſtis nummis explanandis neque PATINVM atque VAILLANT, viros de re nummaria praeclare meritos, hanc arti ſuae adeo honorificam attuliſſe explicationem. Nec obſtat, alias etiam familias, vt IVNIAM et ACILIAM, non medicinae, ſed publici negotii cauſſa, atque adeo ipſos Imperatores, eam ſuis inſcripſiſſe nummis. Certum enim eſt, Rubriam gentem medicinae gloria falſiſſe, eam vero HYGIAM, Aeſculapii filiam, pagani homines, vt ARNOBIVS Lib. IIII. ineunte refert, *in Superiorum cenſum* cum Concordia, Pace, Victoria, et id genus aliis, *retulerunt*, aris et magnificis delubris, tanquam numina, religioſe venerantes, quod ibidem ille egregie confutauit. VARRO etiam Lib. III. de LL. Cap X. SALVTEM in Deabus numerat. De *Hygia*, Graeco nomine, ſupra inſcriptionem vidimus: de SALVTE, Latino interpretamento, vnicam addimus CXIIII. REINESII ex claſſe I. AESCVLAPIO EPIDAVRIO ET SALVTI: vbi ſocietas numinis declarat, quae SALVS intelligatur, videlicet ſanitas ſiue ſalubritas, cui diua illa praeſidere credebatur. Confirmat inſcriptio CXXIII. eiusdem claſſis AESCVLAPIO ET SANITATI. In ſumma, tam ſplendida Romae fortuna erat medicorum, vt etiam Imperatorum ſaepe amici eſſent ac familiares, ſiue primi et ſecundi loci, ſeu inferiorum eſſent ordinum, prout ingenui vel manumiſſi, ob inſignem artis peritiam honore digni erant. Ex dictis diiudicanda, quae CONGERS MIDDLETON, S.T.P. Academiae Cantabrigienſis Protobibliothecarius, vir elegantis ingenii, protulit in diſſertatione de Medicorum apud veteres Romanos degentium conditione, qua contra Viros celeberr. IAC. SPONIVM, et RICH. MEADIVM, M. D D. ſeruilem eam fuiſſe oſtenditur. Huius accuratam recenſionem in ACTIS ERVDITOR. LIPS. AN CIↃIↃCCXXVII menſ. Martii p. 126. ſeqq et AN. CIↃIↃCCXXVIII menſ April p. 182 ſeqq inuenire licet. Haec enim ad controuerſiam ſpectant, quae de medicorum honoribus in Britannia conflata eſt.

§. XXIIII.

HI vero ſeruorum medicorum honores, tantum abeſt, vt medicinae dedecus concilient, vt magno potius eidem ſint ornamento. Erectior enim indoles hominis eſt liberali diſciplina digni. Vt igitur, ſi ingenium ſauiſſet, nec litterarum ſtudia ſeruis erant interdicta, vt eſſent amanuenſes, anagnoſtae, a bibliothecis. ita, cur a medicina debuiſſent auocari, ego quidem cauſſam perſpicio haud ſane vllam. Erant hi potius neceſſarii, et cuique familiae, ſi quis in morbum incideret, ſtatim ad manus. Ac initio quidem in Vrbe bellicoſa vulnerum medici ac chirurgi in pretio fuiſſe videntur; id quod ARCHAGATHI, ciuitate et taberna publice emta donati, patere exemplo, mihi perſuadeo. Paullatim vero etiam medicina clinica inualuit, et iidem, qui antea manu tantum curauerant, medici, morbis etiam internis medebantur, et in medicorum clinicorum cenſum veniebant. Nullum ergo idoneum antiquitatis teſtimonium in medium proferre valeo, vnde concludendum, medicos inter et chirurgos Romae, ante CAESARVM tempora, diſtinctionem, eamque in primis ratione vitae conditionis ſpectatam, obtinuiſſe. CORN. CELSVS, qui hac partitione vſus eſt, TIBERII, vt multi cenſent, certe CAESARIS vixit temporibus. Nobis etiam, praeeunte in artis medicae hiſtoria DAVIDE CLERICO, dubium videtur, an iſta partitio CELSI aeuo reuera in vſu fuerit. Id modo ſibi voluit ille, medicinam ita diuidi debere. Vbi tamen hoc vltro damus, medicos quosdam vni medicae artis parti maiorem, atque adeo ſeparatam, deſtinaſſe operam, aliosque morbis, alios vulneribus, et alios denique oculis curandis vacaſſe, nec tamen plane ab internis medicamentis, id quod nec hodie fit, ſeſe abſtinuiſſe. Idem iam HIPPOCRATIS COI ſactum erat aetate, vt CICERO refert lib. III. de Orat. cap. XXXIII. indeque credibile eſt, idem tum quoque Romae vſu eueniſſe. Hinc toties in antiquis inſcriptionibus ſerui medici, chirurgi, ab oculis, clinici, aliique memorantur. Nec vero omnis haec ars ſeruilis fuit, ſed ab ingenuis etiam et nobiliſſimis ingeniis exercita. Ii ſerui, qui erecta indole incitati, genuinam medicam artem, rationis et experientiae

bene-

beneficio, colebant, ſi non eodem plane, ſimili tamen, quum per ſcientiam ſuam ad libertatem emerſiſſent, perfruebantur honore ac dignitate. Sic dum p. 143 numero VII ILLVSTRIVS GELADIANVS aliquem recitat, TI. CAESARIS AVG. SER. is non ſimpliciter *medicus*, ſed, adiecta conditionis nota, MEDICVS OCVLARIVS vocatur, idemque CHIRVRGVS OCVLARIVS apud GRVTERVM p. 400. n. 7. appellatur. En ſat amplam dignitatem, ſi non ingenui ſtatus, libertinitatis tamen, teſtimonium, coniunctam p. 416. n. 8 MEDICVS OCVLARIVS SEX. VIR. COL. IVL. FANESTRIS. Diſcernendi igitur in hac cauſſa ii ſerui, qui ingenuam a natura fautrice nacti erant indolem, quique eandem ſecuti, medici honoratiores euaſerunt, ab aliis haud paucis ſeruis, qui humi reptantes, ad libertatem adſpirare haud poterant, et nonniſi officia medicorum ſeruilia faciebant, per quae PROPERTIVS, Lib. IIII. El X. ea intelligit officia, quibus maxime corpus exercetur, quaeque in opere mercenario et ſeruili verſantur. Patet ergo, quo ſenſu lib IIII. decret. L. I. codic de decret. decur liberalium ſtudiorum antiſtites, et qui medendi cura funguntur, ſeiungantur. Nec video, quomodo clariſſimus Academiae Cantabrigienſis doctor, MIDDLETONIVS, a liberalibus diſciplinis artem medicam ſemper diſtinctam fuiſſe, hinc euincere valeat. Idem ex Lib. XXVI Princip. de oper libert. eandem tenuiſſimam medicorum conditionem, nunquam, licet tentet, eliciet. „Vbi medicus li„bertus, quod multo plures ſibi *imperantes* habiturum pu„taret, ſi liberti ſui medicinam non facerent &c.„ legitur. Vndenam, quaeſo, probabit, *medico imperare* veteres pro *medicum aduocare* dixiſſe? Stilo potius Romano *medicis imperium* tribuitur. PLINIVS Panegyr. L. XXII *aegri quoque, neglecto medentium* IMPERIO, *ad conſpectum tui, quaſi ad ſalutem ſanitatemque prorepere.* IMPERIO, i. e. PRAESCRIPTO, ſiue PRAECEPTO. Vt vero hodie accidit, ſic olim erat. Aegri medicorum nolebant parere imperio, ſed medicis aegri imperare cupiebant.

§. XXV.

SERVATA medicorum dignitas et aucta fuit a CAESARIBVS. Amplum in Vrbe *Collegium* AESCVLAPII et HYGIAE fuit, LX viro-

virorum, cuius leges laudatus SPONIVS Sect. II. Art. XI. ex Romano marmore deſcripſit expoſuitque, quod vtique in honorem medicinae inſtitutum fuerat. Immunitate gauiſi ſunt, ab ANTONINO et DIOCLETIANO, MAXIMIANOQVE A.A.A. conceſſa, lege I. et V. Cod. de Profeſſorib. et medicis. Quid quod *medicis et philoſophis, ne hoſpitem reciperent, a principibus fuiſſe immunitatem* indultam, Imperatores VESPASIANVS et HADRIANVS reſcripſerunt Leg. vlt. §. vlt. D. de mun. et hon. In primis CONSTANTINVS M. Leg. I. Cod. Theod. de Medicis et profeſſoribus, *medicos grammaticos et profeſſores alios litterarum, immunes eſſe cum rebus, quas in ciuitatibus ſuis poſſident,* praecepit. Interpolauit legem TRIBONIANVS et *doctores legum,* quos poſthabuerat CONSTANTINVS, adiecit; etiam *de ſalario reddendo* admonuit. Contra reſtrinxiſſe ad ſolos paene *archiatros* videtur, quae CONSTANTINVS omnibus medicis conceſſerat. *Medicos,* inquit, *et* MAXIME *archiatros, vel ex archiatris* etc. Sed, quidquid huius rei eſt, ortum habet ex confuſione trium diuerſarum legum CODICIS THEODOSIANI, eodem titulo, ſub diuerſis coss. latarum, quas in vnam conflauit TRIBONIANVS, quaſi vno tempore latas, quum, ceteris coss. praeteritis, ſolos primae nominauit, quod ſollemne eidem eſt, et ſaepius caſtigatum ab IACOBO GOTHOFREDO, viro non minus hiſtoriae et antiquitatis, quam legum Romanarum conſultiſſimo. kkk) Deinde, poſt hos omnes IVLIANVS, qui, niſi nominis maculam fixiſſet hoſtile erga CHRISTI amicos odium, inter ſapientiſſimos Imperatores iure cenſeretur, non ſine honorifico vtilitatis artis medicae teſtimonio, ſuperiorum Principum decreta de Medicis, lege lata, ſanciuit, eosque a curialibus muneribus liberos eſſe voluit. Conf. IVLIANI Epiſtol. Sed de medicorum honoribus apud populum, terrarum orbis dominum, ſatis, opinor, dictum fuit.

§. XXVI.

EXISTIMAREM, huic propoſito meo quidquam defore, niſi

kkk) Vid. CHRISTOPHORI CELLARII Origines et Antiquitates medicae, ex 10E. XCVI Halae in publica diſſertatione propoſitae, §. XXII.

niſi de APOLLONIO illo TYANENSI, qui ſaeculo P. C. N. I claruit, nonnulla commentarer. De hoc vero nihil hodie nobis notum eſſet, niſi IVLIAE, SEPTIMII SEVERI, coniugis, iuſſu, quae DAMIDIS, ſi fides homini, qui eos offerebat, commentarios nacta erat, PHILOSTRATVS, inſignis Sophiſta, hoc ſuſcepiſſet negotium, vt expolitos ederet. De his nitide publicandis egregie meritus eſt, qui eos ex MSS. CODD. recenſuit, notis perpetuis illuſtrauit, ac verſionem totam paene nouam adiecit, GOTTFRIED OLEARIVS, CIↃIↃCCVIII. Dici non poteſt, quam anilibus fabulis, inſulſisque narratiunculis, referta iſta ſit vitae deſcriptio. Vt adeo, me quidem iudice, illi, qui veritatem amant, vtilitatem ſibi polliceri nequeant tantam, quantam Graeci ſermonis, elegantiſſimaeque Atticae διαλέκτε ſtudioſi. His enim non ſolum ARISTOPHANES, veteris Comoediae facile princeps et ſcriptor Ἀττικώτατος, et, qui praeter hunc purioris Atticiſmi rationem habuerunt, priſci Graeciae oratores, atque ex hiſtoricis, THVCYDIDES et XENOPHON, diurna ſunt nocturnaque manu verſandi, verum ii etiam, qui e recentioribus veterem Attice loquendi modum imitati ſunt, idcircoque Atticiſtarum nomine celebrantur, quibus et PHILOSTRATVS annumerari debet. Sed hoc quoquo modo ſeſe habet, meum exigit inſtitutum, vt medica APOLLONII merita, eique hoc nomine decretos honores, ſuffragante veritate, paucis exponam verbis. Hoc ſtatim perſpexi, libereque adfirmo, antiquae dignitati Medicinae nihil decedere, etiamſi res huius hominis geſtae in hiſtoria medica non legerentur. Is PYTHAGORAE moream medendi rationem in orbem reuocauit, quae non abhorrebat ab incantationibus, aliisque ſuperſtitioſis caerimoniis, quibus fauebat doctrina de ſpiritibus et animabus defunctorum, in aere circumfuſo tantiſper oberrantibus, donec nouis includantur hoſpitiis. Inde manauit porro praxis expiationum, luſtrationum, et id genus alia theurgica, aut, ſi mauis, magica. Neque caret probabilitate, eum inter Aeſculapii ſacerdotes et philoſophos Indos, qui morbos expellere edocti erant, a iuuentute verſatum, multa ab iis arcana didiciſſe. His igitur inſtructus praeſidiis, ad PYTHAGORAE exemplum, varias inſtituit peregrinationes, et forte haud paucis ſanitatem reſtituit. Hac via RENATI PYTHAGORAE ſibi conciliauit opinionem,

et pro miraculis eiusdem curationes homines habuerunt ſuperſtitioſi.

§. XXVII.

SED de Ἀποθεώσει, quam quidam eruditi viri APOLLONIO vindicant, actum et conclamatum eſſe puto. Verba PHILOSTRATI, quae ex illius Apologia coram DOMITIANO edita petunt, nihil probant. Poſtquam enim AVGVSTVS quaerit: τί χρῆν σε ἄνθρωποι θεὸν σε ὀνομάζουσιν, lll) *Cur Deum te homines vocant?* Reſpondet ille, ὅτι πᾶς ἄνθρωπος ἀγαθὸς νομιζόμενος Θεοῦ ἐπωνυμίας τιμᾶται. *Quoniam vir omnis, qui bonus exiſtimatur, Dei cognomine honoratur.* In eadem Apologia ſuſpicionem aut flagitatae, aut a quoquam receptae, Ἀποθεώσεως, de ſe propulſat: οὐδ' ait, οὐδὲ πόλιν οὐδεμίαν, ἐν ᾗ ἔδοξε ξυνιόντας Ἀπολλωνίῳ θύειν. *Nec ciuitatem nous vllam, vbi decretum fuerit, vt publice Apollonio ſacra fierent.* Ex quibus verbis hoc tantum colligendum, priuatos, eosque diuinos in ſenſu improprio dictos, eidem adhuc viuo tributos honores. Aut PYTHAGORAE amici tam excelſe magnificeque de ſe ſunt locuti: id quod SCHEFFERVS multis euicit teſtimoniis; mmm) aut ipſi ſuperſtitioſi, iidemque priuati homines, ob mirabiles θεραπείας DEVM nominarunt. Sic etiam LATINI beneficum ac ſeruatorem DEI appellatione ornant. Ita CICERO ad Quir. poſt Red. cap. V. *Lentulus Conſul, parens, DEVS, ſalus noſtrae vitae, fortunae.* CVRTIVS VII. VIII 26. *Si DEVS es, tribuere mortalibus beneficia debes, non ſua eripere.* Plura eiusmodi exempla dabunt, praeter TERENTIVM, alii probatioris notae ſcriptores. Ea teſtimonia, quae ii, quibus APOLLONII Ἀποθέωσις poſt eius fata placet, adducunt, omni quoque probandi vi deſtituuntur. In fabulis numero, quae de templis, Tyanenſi ac Epheſino, in honorem eius erectis, narrant. Non niſi hoc ex illis probare poterunt, in fanis ac muſeis APOLLONII effigiem a quibusdam honoris ergo fuiſſe appenſam. Ἀποθέωσιν vero atque miracula ii falſo nefarioque conatu iactarunt, qui ſaeculo III atque ſequentibus facta magnorum inter paganos heroum cum CHRISTI componebant miraculis, vaferrimi homines,

lll) Lib. III. Cap. VII p. 32.

mmm) de natura et conſtitutione philoſophiae Italicae cap. VII. p. 41.

Google

nes, HIEROCLES, IVLIANVS, EVNAPIVS, aliique. Tantum certe is EVNAPIO, magni nominis ſophiſtae, ſui admirationem, religionemque incuſſerat, vt PHILOSTRATVM, celeberrimum vitae APOLLONII panegyriſtam, vituperauerit ille, quod ΒΙΟΝ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ inſcripſerit opus ſuum, cui titulum iure meritoque facere debuiſſet, ΕΠΙΔΗΜΙΑ ΕΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥΣ ΘΕΟΥ, DEI AD HOMINES ACCESSVS. nnn) Qua quidem appellatione veteres theologos aduentum D. N I C. in carnem deſignauiſſe, SVICERVS annotauit Theſaur. Eccleſ. Tom. I f. 1136. Nobis igitur hoc tantum dari poſtulamus, ob medicinam Pythagoraeam magnam ſibi peperiſſe famam APOLLONIVM illum Tyanenſem.

§. XXVIII.

Adiicimus poſtremo loco ANTIQVOS CHRISTIANOS, qui ſuum erga Medicos honorem et verbis honorificis, et re ipſa declararunt. Iuuat vnum Graecae Eccleſiae doctoris citare teſtimonium, idemque perſpicuum et antiquitate venerandum. GREGORIVS, Epiſcopus Nazianzenus, artem *ἰατρικὴν* appellat *θαυμαστὴν*, ooo) admirabilem, fratremque ſuum CAESARIVM operam ei iuſſu Patris dediſſe, commemorat, atque hunc fratrem ſuum tantam in ea ſibi peperiſſe gloriam ſcribit, vt peritiſſimi quique primas ipſi concederent. Quum Byzantini ab Imperatore per Legatos peterent, vt vellet vrbem principem viro eruditorum principe ornari, atque ſic ad ceteras nouae vrbis laudes addere, *τῷ Καισαρίῳ καλλωπίζεσθαι καὶ ἰατρῷ καὶ οἰκήτορι vt* CAESARIO, *et Medico et ciue, ornaretur:* hoc quoque factum eſt. Theſaurorum regiorum cura ipſi demandata fuit, et Chlamydem geſtare eidem licuit. Plurima eiusmodi Patrum loca, in quibus DEVS et SALVATOR cum Medico comparantur, aliasque in honorem Medicorum editas confeſſiones, ELIAS VEIELIVS, theologus Vlmenſis, collegit in *diſſertatione Epiſtolica de ſumma dignitate et praeſtantia ſtudii Medici iuxta mentem dictumque S. S. Graecorum et Latinorum Patrum ad* V. E. Dn. IO. CASP. BEVTTELIVM exarata editaque Vlmae, cIↄ Iↄc XCII. Quin etiam medici quidam olim ab Eccleſia priſca pro ſanctis habiti ſunt,

nnn) de vitis philoſophorum p. 11. Conf. G. OLEARII notae ad PHILOSTRAT. de vita Apollonii l. VIII. C XXVIIII, n. 2. f. 396.

ooo) Orat. X. quae eſt funebr. in laud. Caeſar. citante VEIELIO.

ſunt, inter quos S. AEMILIANVM, S. ALEXANDRVM, S. ANTHIOCVM, S. ANTIOCHVM, S. ANTONIVM, S. CYRVM, S. CAESARIVM, S. CODRATVM, CORINTHIVM, S. S. COSMVM ET DAMIANVM, S. DIOMEDEM, S. DIONYSIVM, S. EVSEBIVM, S. GENNADIVM, S. HILDEGARDEM, S. IOACHIMVM IAPONENSEM, S. IO. DAMASCENVM, S. IVVENALEM, S. S. LEONTIVM ET CARPOPHORVM, S. LVCAM EVANGELISTAM, S. NICERETAM, S. ORESTEM, S. PANTALEONEM, S. PAPILIVM, S. PHILIPPVM, S. SAMSONEM, S. SANCTVM, S. THEODOTVM, S. THEODOSIAM, S. VRTICINVM, S. ZENOBIVM, recenſuit C. B. CARPZOV in diſſertatione, Medicos ab Eccleſia pro ſanctis habitos ſiſtente, Lipſiaeque CIↃIↃCCVIII publicata. In his numeratur CAESARIVS paullo ante laudatus non, vt opinor, immerito. Is enim noluit, enarrante I. C. GREGORIO, CHRISTI abiurare diſciplinam, quamuis a IVLIANO imperatore maximis eſſet pollicitationibus incitatus. Dignae ſunt, quae huc tranſcribantur, ſententiae aeternitati conſecrandae: *Quum magnis quotidie dignitatibus ornaretur, maioribus tamen, ac iam in ſpe poſitis, dignus habebatur, tum ab ipſis Imperatoribus, tum ab omnibus iis, qui primas ſecundum eos tenebant.* HOC *vero* MAXIMVM *eſt, quod non commiſit, vt a gloria, aut ab iis, inter quas verſabatur, deliciis, animae ſuae nobilitas corrumperetur. Quin potius, quum multa et magna ipſi ſuppeterent, ad dignitatem tamen hoc* PRIMVM *erat, quod* CHRISTIANVS *et eſſet, et nominaretur: ſic, vt* alia omnia cum hoc vno collata ludus quidam ac nugae ipſi eſſent. *Alia enim ab aliis etiam ludi poſſe, non ſecus atque in ſcena, quae celerrime et figitur et diſſoluitur, imo facilius fortaſſe deletur, quam conſtituitur; vt ex multis huius vitae mutationibus et proſperitate ſurſum ac deorſum labente, perſpicere licet;* PIETATEM *vero bonum vnum proprium eſſe, quodque tuto permaneat.* Quae elegantiſſima verba vt finem harum primitiarum Academicarum ornarent, lubens meritoque volui. Quod reliquum eſt, DEO IMMORTALI de conceſſis ad huiuc laborem viribus deuotiſſimas perſoluo gratias, eidemque ſtudia mea in poſterum quoque commendo. Te vero, LECTOR BENEVOLE, oro atque obſecro, vt humano TVO ſuffragio ad maiora me tentanda excites, et huic petitioni locum relinquas, quam HORATII, poetae lyrici, malo, quam meis, exprimere verbis:

Si quid nouiſti rectius iſtis,
Candidus imperti, ſi non, his vtere mecum.

(o)